Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

David Chytræus

SYLVA || CHRO=||NICI || ab anno Christi 1581 || vs#[que] ad 1589.|| Cum INDICE ||(SYLVVLA || CHRONICI || DE ANNO || 1586.|| 1587.|| 1588.|| 1589 ineunte .||)

s.l., 1589

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1793707960

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

63. 6. 8.

Rb 4310 1. 2.
Rf 9330 1. 2.
Rb 4102, a 1. 2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1793707960/phys_0002

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1793707960/phys_0004

SYLVA

CHRONICI

ab anno Christi 1581.
vsq; ad 1589.

E Rudolf.



Cum INDICE

EXCVSA

M. D. LXXXIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1793707960/phys_0005



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1793707960/phys_0006

ANNO M. D. LXXXI ineunte, RIGAM Liuoniæ metropolin, Stephanus Poloniæ rex, in potestatem, fidem & ditionem suam recepit: & nouum Priuilegiorum Diploma ciuitati vicissim concessit. Etsi enim ante viginti annos, VVilhelmus archiepiscopus Rigensis, marchio Brandenburgicus, & Gothardus equestris ordinis Teutonici in Liuonia tum temporis magister, armis magni Moschouiæ ducis summa vi & immanitate oppugnati, & frustra S. Romani imperij ope implorata, desperatis omnibus alijs subsidijs, se cum omnibus subditis, in Sigismundi Poloniæ regis clientelam & subiectionem contulissent: tamen hactenus, qua lege, quibusue conditionibus, ciuitas Rigensis, regum Poloniæ Iurisdictionis & potestatis esset, non planè constitutum; nec ciuitas fidelitatem subiectionemque directam iuramento solenni comprobarat. Tandem igitur 14. Ianu. Drochizini, rex Rigenses, vt subditos & fideles sibi ac successoribus futuros, denuò recipit, & aduersus sacrum Romanum imperium, si negotium ciuitati ob hanc subiectionem faceret, sicut antecessores simili in causa Prussiæ ciuitates; se defensurum pro-

mittit, & omnes Rigensium veteres libertates & iura, tàm in rebus ecclesiasticis, quàm ciuilibus, leges, statuta, immunitates, consuetudines: sigillatim verò ius Rigense, Iudicia, Iudiciorum processum, in vrbe & territorio, tam in terra, quàm in aquis hactenus seruatum; Ius Aresti in exteros ibi contrahentes: Ius eligendi omnes magistratus vrbanos, præter Burgrauium, quem ex quatuor cos. rex designabit: Ius perueſtigandi & comprehendendi prædones & facinorosos in tota Liuonia: possessionem dominiorum & rerum mobilium & immobilium, molendina, domum librarum-mensuras, ius piscandi, venandi, lignacædendi, pascendi & decimã piscium: Imprimis verò vtile dominium fluminis DVnæ, traiectus, ostij, portus, & littoris vicini vsum & Iurisdictionem: ac ne quid per vicinos amnes Bulderauam & Treiderauam, infra vrbem n Dunam vel portum, frumenti aut mercium, ad naues in portu consistentes vel vicinas insulas, sed ad solum forum Rigense apportetur, atque ibi veneat & distrahatur: censuram item mercium probarum & improbarum: bona naufraga vbicunque inuenta vindicandi ac repetendi potestatem: Ius cudendæ monetæ: ac ne quis intra duo

milli-

milliaria ab vrbe cereuisiam coquere possit, exceptis arcium præfectis pro se & suis domesticis, etc. in amplissima forma stabilit & confirmat. Vicissim sibi & successoribus in regno Poloniæ suis, præterius, dominium, supremam Iurisdictionem, & superioritatem, quam archiepiscopus & Magister ordinis habuerant, pro recognitione dominij & Reipublicæ tuitione, annuos mille florenos ad Calendas Ianuarij pendi iubet. Deinde, ærarium seu portorium ex mercibus inuectis, simile Dantiscano, Rigæ constituit, cuius tertiam ciuitati, duas verò partes sibi ac successoribus attribuit: ac intra decem ab vrbe milliaria nullum se aliud portorium aut teloneum instituere velle promittit. Postremò, in bellis contra Moschos aliosue vicinos, vexillum 300. peditum, additis aliquot tormentis campestribus instruere & alere in exercitu regis, Rigenses tenentur. Hæc priuilegij illius Rigensium noui, insertis alicubi clausulis, Regi ius suum reseruantibus, & quod vna manu datum erat, altera auferentibus: summa est, Quod cùm in vrbem, Reipublicæ legati à rege Nobiles creati, attulissent: in immensum Regis erga Rigenses clementiam

verbis efferebant, ac se, non omnia modò quæ petijssent, sed plura & maiora, quàm optare ausi fuissent, adeptos esse ostendebant. Cùm autem inter cætera Reipublicæ nomine mandata, hæc quoque tria capita habuissent, vt nullam præsentis religionis & rei Ecclesiasticæ mutationem in vrbe fieri paterentur: & domus ac bona Archiepiscopi in vrbe: & munitionem vrbi & arci interiectam, ciuitati conseruarent: &, nisi hæc cum cæteris obtinerent, re infecta redire iussi essent: Ioannes Tastius, qui collegarum nomine, ciuium communitati, acta in legatione referebat, callidè dissimulauit, à Regijs templum & Iesuitarum receptionem petitam, & resolutionem regiam, de munitione vrbis, & bonis Archiepiscopi, in aduentum regis, cùm munitiones ipse inspexisset, dilatam esse. Quæ res postea magnis turbis & dissidijs ac supplicio Tastij causam præbuit. Tunc verò rebus ita Drochizini transactis, rex Ioannem Demetrium Solicouium (paulò post archiep. Leopolienſem in Russia factum) & VVenceslaum Agrippam, legatos in vrbem misit, quibus iuramentum fidelitatis solenne Rigenses, nomine Regis, præstiterunt.

Eodem

Eodem tempore, SVECIS, per glaciem Finnonici maris profectis, VVESenbergam Liuoniæ borealis oppidum & arcem monti impositam, Russi, incolumitatem corporum & rerum, quas asportare possent, pacti, die 4. Martij dediderunt. Quorum exemplum, quatriduo post, qui Tolsburgæ ad portum maris, tribus à VVeseberga milliaribus, in præsidio erant, secuti sunt. Æstate proxima, dum Stephanus, Poloniæ rex, ad Plescouiam in Russia obsidendam exercitum ducit: Sueci, duce Carolo Henrici, Reualia egressi, prouinciam Vicum seu VVichiam, duodecim milliaribus in longitudine, decem in latitudine patentem, à Moscis recipiunt. Lodâ arce munitâ, præsidijs verò firmis destituta, vix quatriduum obsessa, opinione celerius citra omnem molestiam potiti sunt 22. Iulij. Præfectus eius arcis non audens in Moscouiam redire, cum tota familia sua apud Suecos mansit. Quo audito, Russi in arce VVickel consternati, summa festinatione Parnouiam petentes, arcem incensam Suecis relinquunt, quos, equites aliquot in itinere, non procul à Parnouia, præuertentes trucidarunt. Fortuna sic aspirante, Sueci mox ad Lealam procedunt, cuius portam globis candentibus illico incendunt

cendunt, quod incendium, tempestate clara & calidissima, in reliqua ædificia lignea propagatum, adeo vires cepit, vt extingui nullo modo potuerit. Rusi igitur, impetrata discedendi venia, arcem 27. Iulij dedunt. Habsalensem metropolim, machinis muralibus fatigare Sueci cœperant. Mosci autem, etsi initio se strenuos & feroces præbuerant, & ex Suecis militibus circiter centum, tormentis interfecerant postea tamen amissa spe retinendæ arcis, & venia emigrandi in Russiam à Suecis impetrata, arcem Habsalensem munitissimam Suecis tradideruut 9. Aug.

NARVA Liuoniæ portus & oppidum munitissimum, cùm à Suecico exercitu, duce Ponto dela Gardia obsessum antea aliquot hebdomadis fuisset, vi expugnatum, & Moscis ereptum in Suecię regis ditionem & potestatem concesit, 6. Septemb. Russica Narua, fluuio à priore dirempta, certis conditionibus sese Suecis dedidit: 16. Sept. Qui progressi, eodem victoriæ cursu, Iammagrodum & Coporiam Russiæ arces & prouincias, & in Liuonia opulentissimam præfecturam VVittenstein, recuperarunt. deniq; successus adeò felices Sueci hoc anno habuerunt, vt Stephanus Poloniæ rex, ad Plescouiam

uiam desidens, se laborem & pericula belli sustinere, Suecos fructum victoriæ decerpere significans, dum ipse casses & retia custodiat, à Suecis apros capi diceret, ideoq; ad patem cum hoste faciendum properaret.

Est autem PLESCOVIA, Russiæ vrbs ampla & potens, (ad gradum long. 58. lat 60.) & variarum gentium commercijs florentissima: sola in toto Moschi imperio, muris cincta, & in tres partes, quarum singulæ suis mœnibus clauduntur diuisa. distans à Derbato Liuoniæ 24. Nouogardia 36. Narua Liuoniæ emporio 40. Riga 60. milliaribus. Russi Pskow appellant. alluitur enim ad septentrionem Pskoua fl. vnde vrbi nomen est. à meridie Velika, qui recepto Pskoua, in Pelbam lacum longissimum infunditur Vnde tandem eluctatus, mutato nomine NARua dictus, oppido Liuoniæ extremo, nomen, & alueum profundissimum præbet: per quem maximæ onerariæ naues ad oppidum appellunt. infra quod, Finnonico mari tandem, 30. supra Reualiam milliaribus, miscetur.

Antiquissima verò Plescouiæ in Russorum annalibus mentio fit circa A. C. 904. quo principi Russiæ Thorio, Olgam Plesco-

uienſem vxorem adiungunt, poſtea anno 1242. Hermanno Falconi ordinis Teutonici in Liuonia magiſtro dedita ſcribitur, ſed biennio poſt, cùm Alexander Nouogarciæ dux, magno prælio Teutones viciſſet, in libertatem ſe denuo vindicauit. & quamuis deinceps principem à ſenatu nominatum, & autoritate magni Moſcouiæ ducis confirmatum habuit: tamen patrijs legibus Rempublicam ſenatus gubernauit, ita tamen vt in grauioribus rebus, ad bellum & pacem, fœdera, electionem principis, & ſimilibus ad Reipublicæ ſummam pertinentibus, ſumma populi autoritas eſſet. Cùm autem inteſtinis inter ſe odijs & diſſidijs ſenatus & ciues laborarent; Baſilius Moſcouiæ Dux, à ſacerdotibus & ſenatu inuocatus, libertatem vrbis priſtinam totam ſuſtulit, & mutatis incolis, ſuo deinceps imperio parere coegit, ſicut anno 1509. expoſitum eſt.

Hanc igitur vrbem dum Poloni circumſiderent: Moſchus ad Pontificem Romanum legatos miſerat, petentes, vt autoritate ſua PP. pacis cum Polono reſtituendę curam ſuſciperet, & hunc & alios ad fœdus ſecum contra Turcas pangendum hortaretur: nec alienum ſe à coniunctione cum eccleſia Romana

mana ostenderat. Pontifex igitur tres Iesuitas mittit, qui mense Iunio Pragam appellentes, rectà per Poloniam ad Moschum profecti sunt. Moschi verò legati, iussu Cæsaris Lubecam vsque deducti, per mare Balthicum, in Liuoniæ portum Parnouiam traiecerunt. Vnius igitur ex his tribus Iesuitæ operâ, inter cæteros, exeunte anno, Pax inter Poloniæ regem, Plescouiam tum obsidentem, & Moschum, tota Liuonia cedentem, facta est. Quanta humanitate à Mosco excepti sint sacerdotes Iesuitæ, P. P. legati, pro ipsorum more postea ipsi deprędicarunt.

SVECIÆ rex Ioannes III. dum in Liuonia, ipsius duces, victrici manu, arces & oppida, per Moschos occupata recipiunt: minimam natu sororem Elizabetham, Gostaui Sueciæ regis filiam; CHRISTOPHORO duci Megapolitano, Alberti filio, Stockholmię celebrato nuptiali sacro, in matrimonium tradit. ac eadem ætate, Christophorus maritus nouus, cum coniuge Regia, per mare Balthicum, quindecim nauium armatarum classe & consiliarijs à rege attributis comitatus, in ditionis suæ portum & vrbem VVismariam 18. Iulij appellit, vbi honorificè à ciuibus armatis & Francisco ac Mau-

Mauricio ducibus Saxoniæ, ac ciuitatum vicinarum legatis exceptus, cùm aliquot dies quieuiſſet, Gadebuſam profectus eſt, & coniugi ſuæ, alimentorum nomine, oppida Gadebuſam & Temzinum, præſentibus regijs legatis, & VIrici ducis Megapolitani conſenſum ac confirmationem accipientibus, attribuit.

Vicinus ditioni ducis Chriſtophori proximus, FRANCISCVS Saxoniæ dux, Lawenburgenſis, ſenex, cùm ante triennium filijs gubernationem reſignaſſet, rebus humanis tandem exemptus eſt, quinq; relictis filijs: ex quibus Magnus, inſtabilis & turbidi ingenij princeps, in Suecia aliquot annis militarat, vbi Sophiam Goſtaui regis filiam Erici XIIII. & Ioannis III. ſororem, 1568. coniugem duxit. poſtea in regis Ioannis indignationem incidens, relicta coniuge, & aſſumpta pellice, Suecia eiectus, paterna etiam ditione Saxonica excidit. quam frater natu proximus, FRANCISCVS, ducta Philippi Pomeraniæ ducis filia, de voluntate patris, ſponte Imperio cedentis, gubernabat. HENRIcus, humanitate, doctrina, prudentia & virtute cæteris antecellens & epiſcopas Bremæ, Oſnabrugæ & Padebornæ,

&

& paternam ditionem Hadelensem ad Albim vberrimam, sua pecunia redemptã, magna cum laude administrauit. FRIdericus in Colonienſi eccleſia chorepiſcopus, acerrimum ſe Gebhardo Truchesio aduerſarium & perſecutorem præbuit. Mauricius à Franciſco fratre prædijs aliquot acceptis in patria aliquandiu manſit. Filiæ Franciſci, Zedena, VVenceslao duci Teſchinenſi Sileſio; Dorothea, VVolfgango duci Brunſuicenſi in Grubenhagen; Vrſula, Henrico duci Luneburgico, Erneſti filio, elocatæ ſunt.

LVBECÆ, conuentus quatuor metropoleon Hanſæ,& Vandalicarum ac Bremenſis ciuitatum, de Anglorum monopolijs in Germania prohibendis, & libertate commerciorum priſtina Londini recuperanda, menſe Octobri inchoatus eſt. Cùm autem Cæſar, cuius interceſſione fruſtra ciuitates apud Anglam vſæ fuerant, vlteriorem cauſæ tractationem ad comitia Imperij reiecisſet: & per fiſcalem, aduerſus Ezardum Friſiæ comitem procedendi ratio incommodior videretur: & periculum ac interitus priuilegiorum ac totius negociationis in Anglia imminens, conſilium præſens ac expedi-

peditum flagitaret: tandem decreta aduersus Anglos, superiori anno Luneburgæ facta, se non exequi, verùm dissoluere & abolere velle, ad Seniorem collegij Londinensis scribunt. cui paulò antè, suspensionem edictorum Anglicorum, aduersus Hansæ ciuitates petenti, Reginæ consiliarij responderant, si ciuitates Hansæ prius sua decreta aduersus Anglos, in conuentu Lubecensi aboleuisse docerentur, tum vicissim societati Hanseaticæ sua priuilegia in regno Angliæ, sicut ea ab initio imperij huius reginæ habuissent, continuatum & prorogatum iri.

Franciscus Dux Alenconius, Galliæ regis frater, misso ad conuentum Hansæ Lubecensem legato, beneuolentiam & amiciciam suam, & operam in componendis cum Regina Angliæ, sibi confœderata, ciuitatum Hansæ controuersiis defert, ac vicissim à ciuitatibus petit, vt vnioni ac fœderi inter se & reginam Angliæ facto, se quoq; adiungant. Id si fiat, perpetuam fidem, auxilia promptissima, & plusquam aureos montes pollicetur. cui reuerenter pro amicissima voluntate & promissis magnificis gratiæ actæ, ac si quid in Angliæ regina

na ciuitatibus concilianda, & priuilegiorum confirmatione, annos iam 22. irrito euentu quæsita, intercessione & patrocinio suo tandem impetranda, societati Hansæ commodet, sempiterna animi grati memoria se conseruaturas esse, Ciuitates responderunt.

Cùm autem neruus rerum agendarum sit pecunia, sine qua nullius communitatis negocia rectè geri aut expediri queunt: Lubecenses decuplicem contributionem à singulis ciuitatibus pendi petiuerunt, ac se ad mille taleros conferendos statim obtulerunt. Verùm reliquæ ciuitates se mandata de pluribus quàm 3. aut quatuor contrib. non habere ostenderunt. Itaque tum de hoc articulo, tum alijs, in frequentiore conuentu Hansæ prima occasione instituendo, amplius deliberari placuit. Ad legationem Polonicam, nomine societatis Hansæ subeundam, destinatæ sunt ciuitates Colonia, Dantiscum & Rostochium, sed instructione & literis ad Poloniæ regem iam confectis, Colonienses se excusarunt. Ita reliqui etiam sibi non eundum esse duxerunt. Elbingenses verò, communibus Hansæ literis

ris admoniti sunt, ne contra Hansæ decreta, & recessus ac ordinationes antiquas, Anglicis mercatoribus Monopolion instituentibus, sedem in sua vrbe priuilegiatam assignarent. Querentibus etiam nautis, se in Lusitania, præter veterem morem grauioribus nouis exactionibus onerari: placuit initio gubernationis regis Philippi in Lusitania, principijs obstari, & literas ad regem deprecatrices, per consulem societatis Hanseaticæ, adiunctis pluribus eiusdem societatis ibi præsentibus exhiberi: & priuilegia Hansæ Lusitanica, Lysibonæ in sacello cuiusdam templi asseruata, vel integra vel descripta ad se mitti.

In BELGICO, status generales, ex confœderatis prouincijs, Brabantia, Flandria, Geldria, Vltraiecto, Transisulana, Frisia, Hollandia & Selandia, Hagæ comitis collecti, scripto edito, causas publicè exponunt, cur Philippo Hispaniæ regi, omnem deinceps obedientiam & subiectionem renuncient, & Franciscum Alenconium, ducem Andegauensem, Galliæ regis fratrem, Gubernatorem & Dominum Belgici elegerint.

Pictura

Pictura etiam Belgiæ, velut sponsæ, pubetenus nudatæ, edita est: Quæ Hispaniæ regi, vnâ cum Cardinale suo & duce Albano, ad viuum expresso, & dextera manu oleæ ramum, cui pacis Colonienſis nomen adscriptum, pretendenti; sinistrâ muscipulam gerenti; tergum obuertit. Facie verò ad Franciscum ducem Andegauensem iuuenem directa, astante sacerdote, manum dextram sub pileo (cui cassis & gladius & ramus lauri impositus erat) illius dexteræ iungit & copulat. Andegauensem, equitum peditumq; armatæ acies; Hispanum præterea cruces, rotæ, rogi ardentes comitantur. Adscripti rythmi de officio boni principis, & Hispani tyranide conqueruntur:

Principi bono, fideli, in rebus omnibus
Deus stabilit regnum in perpetuum,
Illi nimirum, qui miserorum querelis aures præbet,
Qui pauperũ controuersias cum æquitate dijudicat.
Hæc est doctrina seniorum, & consilium prudentum
Si populo huic hodie officium præstas
Audiendo clementer, iuuando ex ærumnis,
Subijcient se tibi ad honorem tuum.
Vbi est Roboam qui sapientum consilium contempsit?
Premere etiamnum vis duriter subditos,
Satin affecerunt nos virgarum plagæ?
Quærisne scorpiones ad plagas infligendas acerbiores?

An Imperatoris patris tui mandatum & virga innocentibus lenior fuit?
An etiam scorpionem Inquisitionis in Belgiam
Meditaris inducere? tibi contingit quod Roboamo,
Qui delectaris bello & pace fallace.
Istane est merces ô Rex laborum meorum,
Quos contra tuos hostes sustinui plurimos
Opibus meis, sanguine, vita, semper parata ad seruiendum tibi.
Vnde nominis tui fama celebrata est in terras vniuersas,
Nominis tui eram decus & coronæ tuæ ornatus
Pro beneficione maleficium accipio mercedis loco?
At ô leo rugiens & vrse violentissime,
Qui tot annis bella contra me gessisti cum Hispanica
Et in prædam tradidisti tyrannis peregrinis, (fece,
Ventos hæreditatis nomine accipies, qui sic propriam domum contristas,
Mercedem latrocinij & animi inconstantis.
Ne mireris, rex pessime & vir profligate
Me tibi tergum vertere, &
Recipere alium principem pro meo Domino?

DECRETI statuum, quo Hispaniæ regem omni possessione & dominio prouinciarum Belgici excidisse declarant, & deinceps ipsius sigillo & titulo in publicis negotijs vti prohibét, typis Gallica & Belgica lingua expressi, summa hæc fuit. Principes quarumcunq; regionum ideo à Deo præfici subditis

ditis, vt eosdem tueantur & defendant ab omni iniuria & vi publica, non aliter quàm pastor ad defensionem suarum ouium constituitur. Nec subditos creatos esse propter Principem, vt illius libidini seruiant & mandatis subscribant pijs simul & impijs, iustis pariter ac iniustis: sed multò magis Principem subditorum causa creatum esse, sine quibus ipse Princeps esse non possit, nec Principis officio fungi, nisi eosdem æquis legibus & rationibus regat, eosdemq; diligat non aliter quàm pater liberos, & pastor suas oues, qui cum vitæ etiam discrimine easdem defendit & tuetur. Cùm autem vice versa loco defensionis & dilectionis, operam dat Princeps; vt subditos suos premat, & euertat, immunitates, libertates & priuilegia vetera eripiat, ipsisq; vt seruis abutatur: non iam Principis, sed Tyranni nomine appellandum esse, qui meritò (interueniente præcipuè communi deliberatione statuum totius regionis) deseri à subditis, in eiusq; locum alius ad regionis & subditorum defensionem subrogari possit: idq; tunc maximè, cùm subditi nulla ratione, precibusq; nullis, talem Principem mollire, & â tyrannico proposito deducere queunt, sicq; nullam habuerint rationem reliquam, qua primùm

vitam suam, coniugum & liberorum, deinde totius posteritatis libertatem (pro qua conseruanda lege naturæ vitam & opes suas in discrimen vocare debeant) conseruare & tueri possint, sicut id in diuersis regionibus ex similibus rationibus factum legatur, & exempla sufficientia in promptu sint. Hanc verò rationem, si vsquam locum habere potuit, meritò in Belgicis regionibus valere debuisse, quæ omni tempore administratæ sint administrariq; debeant, iuxta iuramentum, quod Princeps antequam à subditis recipitur, iureiurando confirmare tenetur, prout priuilegia antiquæq; consuetudines id euidentissimè comprobant. quinetiam suum Principem illas regiones certis conditionibus & pactis recipere, quorum violatione meritò princeps dominio possessioneq; excidat.

Nunc autem regem Hispaniarum, à morte felicis memoriæ Caroli Quinti, cui in gubernatione Belgici prouinciarum successit; neglectis omnibus beneficijs, quibus tàm Carolus Quintus, quàm ipse, ab his regionibus affectus sit: quibus præcipue Hispaniæ rex, tot victorias inclitas, contra hostes suos consecutus sit, vt nomen ipsius toti orbi terrarum inclaruerit, & hostibus terrori fuerit:

fuerit: posthabitis etiam fideliſſimis admonitionibus patris ſui Caroli Quinti, multoties in contrarium adhibitis conſilijs Hiſpanorum (quibus legibus interdictum ſit, ne ad vllam gubernationem in Belgicis regionibus admittantur, ſicut in regno Neapolitano, Siciliæ, Indiarum, & ducatu Mediolanenſi admitti ſoleant; ideoq; Belgarum odio ardeant) obtemperaſſe.

Conſuluerant autem Hiſpani non ſemel, ex dignitate & maieſtate regia magis eſſe, ſi de nouo illas regiones ſibi ſubijciat & vincat, quo pleniſſmam dominatus & imperij abſolutam potentiam conſequeretur, quàm tam ſtrictis conditionibus & legibus, (quas iureiurando confirmare coactus ſit antequam ad gubernationem admitteretur) prouincijs illis imperaret. Hoc conſilium dum ſequitur, multo tempore omnem mouiſſe lapidem, viasq; tentaſſe plurimas, quibus regiones illas omni ſua libertate ſpoliatas impotenti dominatui ſeu tyrannidi Hiſpanorum ſubijceret.

Et primò quidem ſub prætextu religionis, Epiſcopos in præcipuis potentioribusq; ciuitatibus nouos, dotatos opulentioribus abbatijs, ibidem introduci voluiſſe (1561.) Horum ſingulis adiunxiſſe nouem conſiliarios

rios canonicos, & inter hos, tres hæreticæ prauitatis, vt ipsi vocant, Inquisitores. Hos Episcopos, qui regia institutione tàm poterant esse peregrini quàm indigenæ, voluisse regem, primam habere vocem & sententiam in omnibus deliberationibus statuum generalium, ita vt per hos quæcunq; vellet, tandem rata faceret. etiam per canonicos inquisitores, Hispanicam Inquisitionem, quæ his populis tàm odiosa & terribilis ac intolerabilis, quàm extrema seruitus est, (velut cuiuis id notum) introduceret.

Voluisse quidem Carolum V. multò ante aliquoties eandem inquisitionem Hispanicam, Belgico obtrudere. Sed cùm argumentis pluribus doceretur, eam inquisitionem extremam afferre regionibus illis perniciem, amore singulari patriæ suæ intermisisse. Philippum autem Hispaniarum regem, documentis talibus posthabitis, reiectis precibus ciuitatum & prouinciarum particularium, interceßione etiam & legatione principum ducis Montygni & comitis Egmondani, qui consensu Duciſſæ Parmensis, ex decreto statuum, omnium illarum prouinciarum, aliquoties in Hispaniam eo nomine ablegati sint, neglecta, (licet coràm spem fecerit non exiguam) minaces

paulò

paulò post ex Hispania literas dedisse, quibus seuerè mandarit sub pœna indignationis suæ, Episcopos recipi, eosq; abbatijs donari, inquisitionem in opus & effectum deduci, statuta etiam concilij Tridentini (quæ multis modis cum priuilegijs harum regionum pugnabant) suscipi. Quod cum populis illis innotuisset, non immeritò ansam occasionemq; dedisse ingentis perturbationis, abalienasseq; non parum animos subditorum, cùm præsertim intelligerent, Hispani regis gubernatores, non modò in corpora & opes suas, tyrannidem exercere, sed etiam conscientijs suis, quas Deo deberent, dominari decreuisse.

Hinc factum esse, vt præcipua nobilitas illarum prouinciarum, anno 1566. supplicem libellum Regiæ maiestatis concilio obtulerit, hoc præcipuè consilio, vt motus plebis compesceret & inhiberet. Petiuisse autem nobilitatem, vt Regia maiestas capita quædam mandatorum, præcipuè verò quo ad rigorosam inquisitionem Hispanicam, leniret. Istoq; facto declararet amorem & affectum paternum, quo bonus princeps erga suos subditos meritò affectus esse debet. Quò autem hæc propius & maiori cum autoritate, regi Hispaniarum proponerentur, vtq; declarare-

clararetur, quâm necessario istæ innouationes, ad salutem patriæ conseruandam, mitigari, si non prorsus aboleri, deberent: ad petitionem Ducissæ Parmensis gubernatricis, & ex cõsilio statuum generalium, missos esse legatos in Hispaniam, Margrauium Bergensem & Principem ante nominatum Montigni, qui cùm prolixa oratione & argumentis euidentibus Regiæ Maiestati legationis suæ rationem exposuissent, tantùm abfuisse, vt voti & petitionis suæ, pro regionibus illis susceptæ, compotes facti sint, aut vlla extremæ necessitatis ratio, qua motibus iam gliscentibus subueniri posset, habita fuerit, vt etiam ex consilio Hispanoum, legati, mandatis quæ habebant humillimè propositis, declarati sint rebelles, & læsæ maiestatis crimini obnoxij, ideoq; puniendi re & corpore. Quinetiam hos Dominos legatos, iure gentium inuiolabiles, (cùm Hispani, potentia Albani has omnes prouincias subactas sperarent) custodiæ carceriq; mandatos, tandem morte mulctatos, & bona eorum fisco adiudicata esse.

Licet autem postea motus anno 1566. inchoati in Belgicis regionibus, beneficio Magistratuum, magna ex parte, compositi essent, plurimiq; qui libertatem patriæ intelligé-

telligebant patria pulsi, alij autem pressi & & humilitati, ita vt rex Hispaniarum nullam haberet causam, bello & armata manu prouincias illas inuadendi: tamen consilio Hispanorum, vt, quod diu ante meditati erant, priuilegia Germaniæ inferioris abolerent, & tyrannidem in regiones illas exercerent (sicut id manifestè liqueat ex literis legati Hispanici Alana, ad ducissam Parmensem interceptis) regem Hispaniæ (quo minimum declararit amorem suum erga subditos) misisse in regiones illas valido exercitu Ducem Albanum, notæ crudelitatis hominem & summum hostem illarum prouinciarum, comitatum consiliarijs, hominibus farinæ eiusdem (1567.) Et quanquam nemine obstante aut resistente in has prouincias admissus sit, & à miseris indigenis & subditis, qui nihil quàm summam clementiam (quam rex multis literis ante cumulatissimè simularit) expectabant, omni reuerentia & honore exceptus sit: licet etiam Rex tunc temporis simularit, ad componendas controuersias, suam maiestatem in inferiorem Germaniam venturam, comparata ad hunc finem ingenti classe in Hispania, qua deportaretur, & altera instructa magnificis sumptibus in Zelandia, qua exciperetur, vt tanto

facilius homines imprudentes & totos suæ maiestati deditos, irretiret: tamen paulò post hunc ducem Albanum peregrinum, & minimè sanguinis regij, declarasse suis literis summum Capitaneum, & postea non multo interposito tempore constituisse generalem Gubernatorem harum prouinciarum, idq; contra priuilegia quæ iureiurando confirmarat.

Vt autem Albanus propositum suum satis declararet, statim præsidia ciuitatibus imposuisse, castella & munitiones in præcipuis ciuitatibus, quibus illas in seruitute retineret, ædificasse. Præcipuos dominos, principesque, sub eo prætextu, quod eorum consilijs egeret, quodq; ijs in vtilitatẽ regionis vti vellet, ex mãdato regis, amanter euocasse, euocatos dictoque audientes custodiæ mandasse, contra priuilegia Brabantię: custodiæ mandatos sibi sisti, & coràm se (non suo cõpetente iudice) causam dicere voluisse, tandem nõ satis auditos morti adiudicasse ignominiosaq; nece publicè affecisse. (1568.) Reliquos principes, quibus fides Punica melius nota erat, continentes se extra ditionis limites, proscripsisse, bonis omnibus priuasse, idq; tandem perfecisse, ne vllus subditorum aut principum, qui subditorum libertatem & immu-

immunitates melius intelligunt, contra Papę & regis potentiam se armaret. Taceri nunc innumerabiles nobiles, & ciues non minimi nominis, quos partim capite Albanus mulctarit, partim in exilium missos, bonis spoliarit. Reliquos subditos, pręter vim, quam partim ipsi, partim coniuges & liberi ab Hispanis petulantissimis militibus, (quos domi alere cogebantur) sustinebāt, intolerabilibus exactionibus, quę modò ad ædificādas arces modò ad stipēdia, militibus persoluenda, modò alijs nominibus exigebantur, miserrimè exhausisse, quo tandē nullam penitus rationem haberent reliquā, conatus suos impediendi, & ipse nullo prohibente, demandatum sibi à rege & Card. Granuellano in Hispania negotium (vt videlicet prouincias has ita tractaret, tanquam iam suis armis victas & de nouo conquisitas) facilius exequeretur. In hunc finem Albanum cœpisse in præcipuis vrbibus, ordinem iustitiæ iudiciorumq; ad Hispanicam imitationem, idq; prorsus contra priuilegia prouinciarum, immutare: Magistratus nouos constituere: Postremò cum se extra omne periculum, tanquam in securissimo portu versari, existimaret: contractibus & mercaturæ, in certissimam regionis perniciem, perpetuas Decimas, vi quadam, nihili

nihili facientem documenta, argumenta & preces prouinciarum, imponere voluisse.

Quod procul dubio perfecturus fuerit nisi consilio & auxilio principis Auraniæ, multorumq; nobilium exulum, qui principi Auraico seruiebant, aliorum etiam optimorum ciuium studio, qui libertatis patriæ amantissimi erant, Holandia & Zelandia ab Albano defecissent, & se protectioni ac defensioni principis Auranię subiecissent (1572) Contra has duas prouincias, durante gubernatione Albani, & eodem in Hispaniam reuocato, sub Commendatore (qui non, vt moderatiore vteretur imperio, sed paulò tectius vestigijs tyrannicis Albani insisteret, propositumq; vrgeret, à rege Hispaniarũ missus fuerit) coactas esse reliquas prouincias, quæ præsidijs, munitionibusq; Hispanicis, more Hispanico tenebantur, bellum gerere.

Licet autem & corpora sua, opesq; bello isti impenderent, nihilominus domi ita afflictos fuisse ab Hispanis, vt à crudelissimis hostibus deteriora expectare patiue non potuerint. Primùm enim sub prætextu exauctorationis, Hispanos, præsente & inspiciente Commendatore, Antwerpiam vi armata ingressos (1574.) ibidem sex hebdomadas magno incommodo ciuitatis & ciuium

uium commoratos esse, miseros ciues, sua profusione & sumptibus quotidianis, non tantùm exhausisse, sed etiam quatuor tinnas auri illis extorsisse, antequam tam molestis hospitibus liberari possent. Ab his initijs maiore confidentia vsos, manifestos se hostes patriæ declarasse, & hostiles manus, primò Bruxellensi ciuitati (quòd ea sedes principis ordinarij olim fuerit, vnde commodissime in totam ditionem, latrocinia se sua exercere posse sperabant) admouisse. Sed sua spe hic frustratos, Alostum occupasse. posteaMosę traiectum inuasisse, tandem Antwerpiam vi armata, ex munitione ibidem exstructa, irruptione facta occupasse, spoliasse, incendisse & ita miseros ciues tractasse, vt à crudelissimis hostib⁹ nihil acerbius expectare aut metuere potuerint (1576.) Heu cladem illius lucis, quis funera fando explicet, aut possit lachrumis æquare dolores. Neq; verò huius crudelissimæ stragis calamitatem tantum indigenas eius loci afflixisse, sed ferè totius mundi nationibus, quæ ibidem mercaturas exercebant, suasq; opes repositas habebant, mirum in modum incommodasse. Quamuis autem ex communi decreto statuum (quibus maiestas Regia à morte Comendatoris gubernationem prouinci-

uinciarum commendarat) præsente etiam Hieronymo de Roda, hi latrones, hostes patriæ daclarati sint: nihilominus priuata autoritate, vel potius, vt putatur, Regia, secreto eius rei mandato ex Hispania accepto, non dubitasse Hieronymum Roda caput se declarare istorum latronum: & præter consensum Senatus statuum, vsurpare nomen & autoritatem regiam, sigillo regis vti, & palàm se pro Gubernatore & locum tenente Regis, gerere.

Per hæc & alia commotos esse status, vt cum Principe Auraico & statibus Hollandiæ & Zelandiæ concordiam inirent, quæ concordia, à communibus Prouinciarum statibus approbata sit, & visa idonea ad communem hostem Hispanum extirpandum & profligandum. Quæsita esse nihilominus interea aliquoties remedia ad molliendum Regem, missos libellos supplices, & rogatum esse regem vt motibus præsentibus & imminentibus occurreret: Eoq; nomine Hispanum militem ex Belgio euocaret, & in autores tantorum facinorum animaduerteret.

Regem licet verbis simularet sibi talia acta displicere, promitteretq; se in capita facinorosorum militum exempla editurum, tamen tantum abesse, vt aliquem eo nomine puni-

puniuerit, vt etiam reipsa apparuerit, hæc omnia, si non suo, senatus tamen Hispanici consilio & iussu perpetrata. Ex literis quoq; interceptis compertum esse, Regem ad Rhodam, aliosq; autores talium facinorum, scripsisse, sibi non tantum talia acta placere, sed etiam gratiam regiam eo nomine magnificè obtulisse, sicut re ipsa Rex, Hieronymo Rhodæ, alijsq; ministris talium facinorum, in reditu declararit. Quinetiam eodem tempore, Regem, quo maiorem caliginem oculis subditorum obduceret, fratrem suum nothum, Dominum Iohannem Austriacum, pro gubernatore in inferiorem germaniam misisse. qui sub illo prætextu, quod Gandauensem transactionem approbaret, (1577.) statibus defensionem promitteret, Hispanos aliò ablegare, capita facinorosorum militum punire, libertatem veterem restituere vellet: reuera disiunctionem inter ordines machinatus sit, & sibi modò hanc, modò illam prouinciam subijcere quę siuerit. sicut id postea singulari beneficio diuino reuelatum sit ex literis quibusdam interceptis, quæ docuerint, Iohannem Austriacum mandatum habuisse à rege, vt actiones suas institueret secundum tenorem instructionis, quam Rhoda ipsi esset missurus. interim

terim caueret ne cum Rhoda vnquam congrederetur, principes præcipuos regionis, officijs beneuolentiæ quibuſcunq; poſſet, ſibi deuinciret. donec eorum auxilio Hollandiam & Zelandiam quacumq; ratione poſſet occuparet, vt reliquis prouincijs pro libito imperaret.

Iohannem etiam Auſtriacum, licet pacificationem Gandauenſem non tantùm approbarit, ſed etiam in præſentia omnium ſtatuum eandem iureiurando, multis ſolennitatibus adhibitis confirmârit: nihilominus muneribus, ingentibusq; promiſſis, ſtuduiſſe Germanum militem, qui tunc præcipuas munitiones & vrbes tenebat, in ſuas partes pertrahere, per eundem vrbes munitionesq; occupare, vt ſi qui fortè in oppugnando principe Auraniæ, in bello Hollandis, Zelandisq; inferendo, difficultatem aliquam facerent, per eoſdem reipſa, detrectantes, cogeret, ac ſic multò crudelius bellum inteſtinum excitaret quàm vnquam ante extitiſſet. Quæ Auſtriaci conſilia, cùm prius reuelata ſint, quàm omnia in actum deducere potuerit: non quidem omnia quæ conceperat animo perfeciſſe: pro pace tamẽ quam adueniens tantopere promiſeat, nouum bellum, quod in hunc vſq; diem duret, excitaſſe.

Quæ

Quæ omnia, prouincijs illis, plus quam sufficientes & legitimas causas suppeditasse aiunt, quamobrem Hispanum deserererent, & alium potentem, bonumque Principem quærerent, qui regiones illas ab iniuria defenderet. cùm præsertim vltra 20 annos, eos Hispanus deseruerit, nec vt subditos, sed hostes tractârit, omnibusq; modis operam dederit, vt armata vi opprimeret. Cùm etiam Hispanus post mortem Austriaci, per Baronem Sellensem, sub prætextu cuiusdam pacificationis, satis declarârit, se Pacificationi Gandauensi, quam suo nomine Iohannes Austriacus iureiurando comprobarit, stare non decreuisse. Atq; sic de die in diem grauiores conditiones proposuerit.

Et licet hæc ita reuera gesta sint, nec dùm tamen omisisse Belgas pacis & reconciliationis omnes occasiones cum rege quærere, & obseruare, vsos intercessione præcipuorum principum totius orbis Christiani. Postremo etiam legatos suos Coloniæ multo tempore habuisse, (1579.) sperantes intercessione Cæsaris & principum Electorum, quibus eo nomine molestiam exhibuerint se constantem pacem, cum mediocri libertate (præcipuè religionis) consecuturos: sed re ipsa deprehendisse, tali tractatione apud

regem non tantum nihil effectum, sed magis à rege talia proposita esse, vt voluntates disiungeret, prouincias distraheret, vt sic tantò facilius, modò vnam, modò alteram, opprimeret, & tandem omnes, sicut proposuerat, in certissimam seruitutem redigeret.

Hæc omnia manifestissima facta esse cuilibet ex proscriptione à rege facta, qua vt Belgas in extremam desperationem induceret, odiosośq; faceret cuilibet, mercimonia etiam negociationeśq; impediret, declarauerit omnes in Magistratu constitutos, cæterośq; incolas harum regionum, rebelles, & læsæ maiestatis reos, constituta præterea ingenti summa pecuniæ in caput domini Principis Auraniæ: sic vt desperantes de omni reconciliationis modo, deserti etiam ab alijs omnibus humanis auxilijs, secuti legem naturæ, adconseruationem & defensionem iuris sui, priuilegiorum & immunitatum patriæ, ad tuendam vitam coniugum, charissimorum liberorum, & ne cum posteritate in tristissimam seruitutem Hispanorum incidant, valedicto rege Hispaniarum, coacti sint ea sequi media, quæ ad conseruationem salutis, priuilegiorum, iurium & immunitatem, visa sint ipsis magnopere necessaria.

Notum igitur facere, omnibus & singulis, se

lis, se consideratis prædictis, & extrema necessitate coactos, communi consensu & deliberatione statuum, declarasse regem Hispaniarum, & declarare his literis, ipso iure, excidisse omni dominio, iure & hæreditate omnium prædictarum regionum: nec eundem agnoscere velle in vllis negotijs concernentibus Principem, iurisdictionem aut Dominium harum prouinciarum, nec nomine eius, vt superioris magistratus, vti deinceps velle, nec permissuros, vt quis alius eo in prouincijs illis vtatur,

Declarare etiam omnes in magistratu constitutos, etiam Barones, Vasallos, & omnes incolas harum regionum, liberos à iuramento, quod Hispano, vt domino quondam harum regionum, præstiterunt.

Et quia archidux Austriæ Matthias, suam gubernationem illis resignauit: significare, communi consensu omnium ordinum in præcipuas his prouincijs, certis conditionibus præcedentibus, quas in se ipsius Celsit. recepit, electum esse ab eis in dominum & gubernatorem, illustrissimum principem, ducem Andegauensem. Mandant itaque omnibus magistratibus in prouincijs Belgicis & alijs quorum interest, ne deinceps nomine, titulo, aut sigillo maiori minori ve

regis Hiſpaniarum vtantur. Interea verò temporis dum illuſtriſſ. princeps Andegauenſis, grauium negotiorum cauſa, pertinentium ad ſalutem harum prouinciarum, abeſt, vſum fore tituli & nominis, Prouincialis Conſiliarij. & dum ille Conſiliarius prouincialis nominetur, vſurpatum iri generalium ſtatuum, nomen. ita tamen vt in Hollandia & Zelandia, nomen titulusq; principis Auraniæ & ſtatuum ibidem maneat, donec prouincialis Conſiliarius ſimiliter nominatus ſit, & poſtea de hac re pleniſſimè conuenerit cum illuſtriſſ. Principis celſitudine.

Loco etiam Sigilli regis Hiſpaniarum, vſurpari debere in negotijs, ad gubernationē generalem pertinentibus, Sigillum ipſorum: in negotijs autem politicis, iuſticiæ adminiſtrationibus, & alijs particularibus, retineri ſigillum illius Prouinciæ, ad quam negotium potiſſimum pertinet. adeo vt ſi quis hoc ipſum intermiſerit aut neglexerit, vlles literas eo nomine nulla autoritate aut valore futuras eſſe. Mandant etiam, vt hæc effectum certiorem conſequantur, vt ſtatim poſt publicationem harum literarum, omnia Sigilla regis Hiſpaniarum, quę in prouincijs habentur, ad manus Statuum aut deputatorum ſub pœna arbitraria deferantur. Man-

Mandant etiam, ne deinceps in moneta argentea aut aurea, nomen, titulus, aut insignia regis Hispaniarum excudantur.

Mandant similiter Præsidi, & alijs dominis secreti concilij, simul etiam, omnibus alijs Cancellarijs, Præsidibus, quæstoribus prouincialibus, & alijs omnibus magistratibus, vt iam ordinum autoritate soluti à iuramento Regi præstito, nouo ordinibus iuramento deuinciantur, quo eis fidem iurent contra regem, & omnes ei adhærentes, iuxta formulam ex communi decreto statuum præscriptam. Talibusq; magistratibus, à iuramento præstito, dandas literas ordinum nomine in aduentum principis Andegauensis, continuationis & prorogationis suorum officiorum. Mandant postremò domino Præsidi & alijs consiliarijs secreti consilij, deinde Cancellarijs, ducatus Brabantiæ, Geldriæ, comitatus Zutphaniæ, Præsidi Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ, Sculteto Mechlinienſi, præsidi prouinciæ Vltraiectensis, et omnibus alijs magistratibus confœderatarum prouinciarum, vt hoc edictum publicè recitari curent in omnibus locis, in quibus hactenus vlla edicta recitata sunt, ne quis ignorantiæ caussam prætendat. Dent etiam operam seuerè, vt hoc decretum sine vlla violatione seruetur, violatores autem sine

quasi hærentes, solicitis & anxijs animis, tantæ mutationis euentum, & serus vesper, quid allaturus esset, metuebant. Andegauensis in arce Cameraci cõmorantis exercitus ad mœnia vrbis castra metabatur eo ipso loco, vbi Malecontenti per totum annum bello continuo vrbem vexarant. Vraniæ princeps Gandaui, Andegauensem diu expectans, cùm ille in Galliam subitò rediret, spe sua frustratus est.

Hispaniæ rex interea, Regni Portugalliæ corona, Lisibonæ, (16 Aprilis) accepta, nauale bellum aduersus Azores insulas, quæ Antonij nothi Pseudoregis nomine adhuc tenebantur, apparat. & Cardinalem Atrebatensem, ad Henricum Galliæ regem, à quo & Antonium classe instrui, & fratrem Andeg. à Belgis vocatum, consilio & exercitu iuuari intellexerat, legatum mittit, vt de illius erga se voluntate penitus cognosceret. Gallus verò, fratrem iamdudum sibi non obedientem, absq; suo consensu & ope, propria temeritate, Belgicum negotium suscipere: Antonium verò, non à se, sed regina matre iuuari, ac se vetera inter Galliæ & Hispanię reges fœdera religiosè seruaturum esse respondet. Andegauensem etiam à susceptа in Belgicum expeditione, siue seriò, siue

conuertunt, multis ex illis desideratis, plurimis etiam captis. Nam Andegauensis summa vi per media castra cum exercitu suo perrupit, atq; per arcem in vrbem maximo cum gaudio & triumpho intromissus est. Quod vbi Gandaui nunciatum, statim publicæ lætię signa edita, & tormenta disploſa sunt. (12. Augusti.) Postridiè nouam monetam instar sicli cudi curarunt Gandauenses, cum hac inscriptione, in vno latere: 81 Religione & Iusticia reduce, vocato ex Gallia pacata, Duce Andegauense, Belgicæ libertatis vindice. In altero insculpta sunt insignia Flandriæ, cum hac inscriptione: Ganda pro Christo, lege, grege & patria.

Rumore Antwerpiam perlato, similia læticiæ signa ibi quoq; edita sunt. sed omen infaustum fuit, quod eadem die campanæ maioris in templo Mariano pulsator, primus publicæ læticiæ præco, ex improuiso per foramen laquearis decidens, miserrimè perijt. Die 23. Augusti, qui Reformatæ Religionis dicuntur, in summo D. Mariæ templo, primam concionem habent, in summa hominum frequentia, gratias Deo agentes pro Andeg. aduentu, & pro eiecto, ex templis vrbanis & tota Belgica, Antichristo. Prudentes omnes inter sacrum & saxum

Imp. vidua, quæ hactenus Pragæ apud filium Rodolphum desederat, mense VIIbri in Italiam, & inde in Hispaniam traijciens, die 28. Nouembris Barcellonæ appulit.

PAx inter Stephanum Poloniæ regem, & Iohannem Moschorum tyrannum, interceßione legati Pontificij, die 15. Ian. 1582. ad Zapolciam, exclusis Suecis, confecta est. qua vniuersam Liuoniam Moschus Polono cessit; Vielicolucum verò, & alias aliquot arces à Polono occupatas recepit. Deductis igitur ex tota Liuonia Moschorum præsidijs, Poloniæ rex, 12 Martij, Rigam Liuoniæ metropolin ingreditur, & cognito vniuersæ prouinciæ & Nobilium & ciuitatum statu; negotia pleraq;, ad comitia VVarsouiæ, futura hyeme celebranda, reijcit. Die verò septima Aprilis, Iesuitas, in templum D. Iacobi & cœnobium vicinum, Rigæ collocat. sicut Derbati etiam, VVendæ, Kakenhusij & alijs celebrioribus oppidis, templa eis attribuit. Etsi autem Rigensibus, non solùm generali priuilegiorum & libertatum confirmatione, verùm etiam peculiari cautione de Religione in vrbe non mutanda, prospectum esse existimabatur: tamen, cùm in priore legatione, Regij (in conuiuio quodam per Demetrium Solicouium instituto) templum pro

ponti-

siue simulatè reuocat, & militibus, ne eum sequantur edicit. Pontifici etiam scribit, se pacem cum Hispano perpetuam constanter seruaturum esse.

Oppidum Brabantiæ Bredaw, principis Vraniæ hæreditarium, Antwerpiæ vicinum, (die 28. Iunij) à Pontificijs proditum, vnà cum arce, in Parmensis & Hispanorum potestatem venerat. Postridie igitur omnia templa & cœnobia Antuerpiæ occupata, & omne religionis Pontificiæ exercicium penitus abrogatum est. Econtra in Stiriæ ducatu, Carolus archidux Austriæ, à legato Pontificio Malaspina, & Iesuitis, & coniuge Bauarica incitatus, Nobilitati Stiriacæ, quæ iam à Ferdinandi Imp. temporibus, publicum templum & scholam, in quo Augustanæ confessionis doctrina sonabat, Graiziæ habuerat; Decreto die 10 Decembris edito, mandauit: vt Religionis emendatæ exercitium, in prouincialium templo & schola deinceps penitus intermittatur. Prouinciales verò subiectissime & constantissimè deprecantes, magno labore & contentione tandem obtinuerunt, vt 31. Ianuarij Decretum prius retractaretur, & omnia in priore statu relinquerentur.

MARIA Caroli V. filia, Maximiliani Imp.

de iure, quod senatus in templo cathedrali habeat. Nam triginta annis ante, & priusq; Poloniæ regi ciuitas se primùm subiecisset, archiepiscopus VVilelmus, acceptis à senatu aliquot millibus aureorum, summi templi vsum, vsq; ad concilium generale, senatui, datis solennibus literis, cesserat. 1551. Eas literas, syndicus & Tastius, semotas, apud se occultabant. Interea in senatu syndicus se cæcum ferè perlustrandis literis, nullū iota de iure senatus in archiepiscopi templo in archiuis inuenire ait. Quod si spontè senatus regi, totam ciuitatem cum exercitu in potestate sua habenti, templo aliquo concesso, gratificetur, gratiam eos apud regem inituros esse: sin recusent, nihilominus id à rege occupatum iri. Posse autem nunc agi cum rege, vt summum templum senatui relinquat, & alio arci viciniore, ad D. Iacobum contentus sit. Ministerij consensum per Georgium Neunerum practicantes illi impetrarunt. communitas ciuium, re ad eos in domo collegij delata, simpliciter recusauit: & iam suplex regi, cum coniugibus & liberis, simul etiam deprecante Curlandiæ duce, futura erat. Sed syndicus tradita Iesuitis templi claue ac possessione anteuertit. Nihilominus rex in declaratione postea ciuitati

pontificijs in vrbe petentes, Ioannis Taſtij, Reipub. legati, & oratoris, animum ex ploraſſent; eaq; de re, vt de Archiepiſcopi bonis, et munitionibus vrbis, reſolutionem in aduentum ſuum rex diſtuliſſet: Zamoiſcius Cancellarius hoc tempore in ædibus Taſtij diuertens, cum Taſtio & ſyndico Gothardo VVellingo I.V.D. nomine regis, de templo regi tradendo egit, eaq; in re, ſi diligentiam & fidem ſuam regi probarent, ſingulari clementia & munificentiâ regia, operam eorum viciſſim compenſatum iri oſtendit. ac vt inſtructiores ad cauſam in ſenatu vrbis agendam & obtinendam eſſent: Regem, cui archiepiſcopus olim omnia ſua in vrbe iura ceſſiſſet, templum archiepiſcopi cum cæteris ad arch. in vrbe & territorio vicino ſpectantibus bonis, à ſenatu flagitare ait. Taſtius & ſyndicus magno ſtudio & cura prouinciam ſuſceptam agunt: & priuſquam negotium in ſenatu proponant, cum duobus præcipuæ autoritatis cõſulibus ad partem communicant, & horum conſenſu impetrato, petitionem regis in ſenatu ſtrenuè vrgent. Senatus pars maxima prorſus ab ea religionis mutatione abhorrens, & priuilegia ac cautionem de religione à rege datam allegans, inquiri iubet in archiuo documenta

de

nia reiectis, Vilnam versus Rigâ discedit, relicto in arce Rigensi vicario regio seu gubernatore, Georgio Radeuilo, principe Lithuanico & episcopo Vilnense.

Dum Rigæ adhuc Stephanus commoraretur, à Ioanne Sueciæ rege adfine suo per legatum petijt eam Liuoniæ partem, quam Sueci, Polono ad Velicolucum & Plescouiam bellum gerente occupauerant, sibi restitui. Hæc amplius quadraginta milliarium longitudine, à Naruę fl. ostio, per Tolsburgum, VVesenbergam, REVALIAM, Padisam, VVittenstein, Habsel, vsq; ad Parnouię viciniam ferè porrigebatur.

Suecus iniquissimum Poloni postulatum iudicans, in hanc sententiam, non sine indignatione respondit: Cùm sibi ac coniugi & liberis suis, non Dos solùm promissa, & ingens pecuniæ summa mutuo â se regi Sigismundo data, verùm etiam hereditas coniugis paterna & materna, & alia bona, mobilia & immobilia, ex regno Poloniæ & Lithuania debeantur: quæ totos iam viginti annos, magna cum molestia & sumptibus popoposcerit; existimasse se, regem Pol. ea, quæ sibi ex regno Poloniæ deberentur, solutu-rum potius, quàm Sueciæ regis ditiones, nullo iure ad ipsum pertinentes, iniquè, &

mina-

vitati data, sibi, senatus & ciuium libero consensu, templum illud traditum, ideoq; vicissim à se cathedrale templum ciuitati relictum esse, scripsit

De munitionibus etiam & aggeribus inter vrbem & arcem, tempore belli Moschici excitatis, de quibus, vt nunc essent, conseruandis, quemad. ciuitas petierat; nullam rex in confirmatione priuilegiorum mentionem facere, sed omnia sibi integra, donec ipse coram munitiones inspexisset, manere voluerat: nunc tandem respondet:

Aggerem ciuitatis mænibus coniunctum conseruari debere. verùm se, eiusdem altitudinis aggerem ad arcem propinquam excitare velle, & portam vrbis, versus arcem, sibi ac suis gubernatoribus ingredi ciuitatem volentibus, etiam noctu, si ita res ferat, aperiri debere. vel nouam portam, è regione portæ arcis, quæ cum illa ponte iungatur, in vallo patefaciendam esse. Syndico à rege, ob fidelem operam sibi & Iesuitis nauatam, salarium annuum ex regio portorio: Tastio aliquot rusticorum familiæ donatæ sunt.

His in vrbe peractis, Rex postridie calendas Maij, pendentibus adhuc & infectis otius prouinciæ negocijs, pleriſq; ad comitia

Ponto della Gardia, de VVesenberga & Tolsberga receptis, superiore anno gratulatus sit. Arcem verò & prę fecturam VVittenstein, pignoris loco, regi Sueciæ, dotis nomine, à Polonis inscriptam esse, & VVichiam ante Suecis subiectam fuisse. Vt autem rex Poloniæ Suecum non interrogârit, quæ Liuoniæ aut Russiæ loca Poloni seruare deberent: ita nec sibi causam vllam fuisse ex rege Poloniæ sciscitandi, quid in Liuonia sibi occupandum esset? præsertim cùm rex Sueciæ neminem præter Deum agnoscat, cui actionum suarum rationem reddere teneatur. tametsi in ea Liuoniæ parte, Polonum non plus iuris quàm Suecum habere, certis documentis & validis rationibus & argumentis, vbi necesse erit, demonstrare possit. Ita legatum Poloni, Dominicum Alemanni Italum, 21 Maij Stockholmiâ ad regem suum remittit.

Cùm autem proximo statim mense Polonus, eadem postulata, nouo ad regem Sueciæ legato, cui Christophoro VVarsewicio nomen erat, misso, repetiuisset: & ad reginam Sueciæ adfinem suam literas adiunxisset: denuò Suecus in eandem sententiam, ac multò etiam constantius & acrius, se iniquissimæ & absurdæ illius postulationi, Ducatum Estoniæ à se repetenti, nunquam assensu-

mina citer petiturum esse. Id verò præter omnem expectationem, & mentem suam, & contra affinitatem & amicitiam, quæ inter reges ac regna Sueciæ & Poloniæ hactenus viguerit, sibi accidisse. Cùm autem legatus mandata plena non habeat, & inter cætera Commissariorum meminerit, quibus negotium hoc componendum demandari possit: non se recusare, quo minus commissarij ab vtraq; parte delecti, de propositis à legato capitibus tractent & concludant.

Quod verò scribat rex Poloniæ, dum ipse Plescouiam obsideret, Suecos à suo tergo, Neruam & alias in Liuonia arces ac munitiones occupasse: respondet, se non à tergo, sed à fronte; non clandestinè, sed apertè Moschos hostes aggressum esse; ac sæpe antea cum scriptis tum per legatos regi Poloniæ significasse, omnia fore occupantium: & se retinere illa ac defendere velle, quæ ab hoste occuparet. Præterea multos annos, antequam Stephanus de oppugnandis Moschis cogitaret: se belli totius molem aduersus eos solum sustinuisse. Et cùm Polociam Polonus obsideret, se quoq; Neruam, vt antea aliquoties, impugnasse, vbi ne literula quidem Polonus Iurisdictionis suæ mentionem fecerit. Imò per epistolam,

Ponto

tione rogare, vt se Poloni postulationi facilem præbeat. Orare autem, vt rex Poloniæ ad æquiora consilia redeat, quo facilius ipsius negotia promouere apud maritum possit.

In vicina Liuoniæ Borussia orientali, quam marchio Georgius Fridericus, curatorio nomine administrabat, mense Aprili conuentus prouinciæ ordinum Regiomonte fuit. qui, Cels. ipsius, petentem ab ordinibus pecuniam, de varijs capitibus, ad ecclesiasticam & politicam gubernationem pertinentibus, ab Ill. principe emendandis, monuerunt; de Sambiensis Episcopæ reditibus, non in fiscum redigendis, sed idoneo aliquo episcopo tandem vocando, & forma administrationis episcopi, ac reditibus illius, vt anno 1566. ordinati erant, conseruandis: de Academia Regiomonte instauranda: de tribus scholis inferioribus alibi in Ducatu, vt anno 1575. ordinibus quater mille auri pondo contribuentibus promissum erat, constituendis: de iure Culmensi, quo in Prussia vtuntur, reuidendo & typis exprimendo: de querelis subditorum iniustè oppressorum, non negligendis: de Gubernatione per solos Borussos administranda, & summo quatuor consiliariorum Regiminis Borussiæ senatui, nullis alijs

assensurum ostendit. nam etiamsi omnes in Liuonia arces à Moscho occupare potuisset, non esse vt regi Poloniæ vel cuiquam mortalium huius facti rationem reddere teneatur. Tandem his verbis epistolam concludit: Quamuis satis videmus, Serenitatem V. regnum nostrum parui facere: videbitis tamen, nos minas vestras non multùm timere. Si autem S. V. pacem & amiciciam nobiscum adhuc colere velit: procuret, vt nobis, primoq; tempore, satisfaciat. De quo nobis per literas aut nuncium denunciare faciat, quod nisi fiat, non est, quod quisquam miretur, nos ea media, quæ pro merito decent, tentaturos esse. S. V. bene valeat. Vpsalia, 8. Iulij.

Coniunx etiam Ioannis Sueciæ regis, Catharina, sororio, Poloniæ regi peculiaribus literis eodem tempore respondet, Regem Sueciæ, maritum suum carissimum, optimo semper in regem regnumque Poloniæ, animo fuisse, ita vt ipsius persuasione, ad gratificandum Regi Poloniæ, modò æqua & iusta peterentur, nunquam indiguerit. Nunc verò cùm ipsa intelligat, à rege suo ea postulari, quæ ad detrimentum Maiestatis ipsius atque liberorum & regnorum iacturam vergant: non se posse maritum vlla ra-

tribus, Iodoci filijs, superstitibus, florebat; sublato ex his terris die 26. Februarij postremo comite, Ottone, Iodoci filio, funditus extincta; & oppida, inter duces Brunsuicenses ac Luneburgenses, feudi dominos, distributa sunt. Ex quibus, Hoia arx, & Nieburga vrbs præcipua, Leuenaw, Brochusen, VVilelmo duci Luneburgensi: Stoltena, Erenburg, Sick, Steigerberg, Sidenburg, Depena, Barenburg, Iulio Brunsuicensi: Vcht & Freudenberg, Hassiæ principibus cesserunt.

Cùm autem aliquot huius familiæ comites, qui nostra memoria patriæ præfuerunt, boni & clementes & in gubernatione iusti Principes, & ecclesiæ Dei ac scholarum Nutricij liberales & benigni fuerint: Nomina & tempora obitus eorum, qui intra annos ducentos patriam rexerunt, ne cum tempore prorsus memoria eorum apud posteros exolescat, breuiter hoc loco consignabo.

HENRICVS

Henricus. GERARDVS floruit 1350. Ioannes ⊖ 1370.

Otto, epi. scop. Monast. & Osn. Ioannes ep. Pad. & Hildes. ERICVS ⊖ 1420. ♃ Otto. Henricus ep. Verdæ. Otto Ioannes ♂

alijs externis adiungendis: vt legati ad Poloniæ Regem, in causis ad Rempublicam pertinentibus, Borussi, & non exteri, mittantur: vt nobiles ex suis domibus non violenter abripiantur: de iudico aulico rectè constituendo: de sumptibus Oeconomiæ in aula moderandis: vt armamentarium ducis conseruetur: de libera lignorum emtione non impedienda: de liberis hominibus ad angarias non cogendis: de literis assecurationis, ne vlla contributione extraordinaria deinceps subditi onerentur, ordinibus à Principe tradendis: de moneta cudenda: de nauigatione in fluminibus libera relinquenda: de vectigalibus nouis in Lithuania & ad Vistulam, in præiudicium Borussorum recens institutis, iterum abolendis: de iure προτωνικο- piscium indigenis cõcedendo: de ædificijs ad portum maris: de vectigalibus in Hellesponto Danico, Principis intercessione tollendis: De his inquam, & alijs quibusdam capitibus reuerenter Illust. Principem monuerunt. de quibus tamen plerisq; , cùm parùm conueniret, maior animorum inter Principem & subditos exacerbatio secuta, quæ sequentibus annis lenita & sublata est.

In Saxonia, Comitum HOIENSIVM ad Visurgin familia, quæ paulò ante septem fratribus,

cisco von Halle olim captum, & in custodia mortuum.

Ex Iodoci II. filijs patriam rexerunt, ALBertus primogenitus, singulari pietate, constantia & Zelo, veræ religionis exercitium publicum, post victoriam Caroli Cæsaris, & promulgatũ Interim, conseruauit. ⊙ 1563. Vxor Catharina, comes Aldenburgensis, Antonij filia. Alberto, frater ERIcus quintogenitus successit vsq; ad annum 1575. Vxor Irmgardis Ritbergica, Ioannis filia, quæ postea Simoni Lippiæ comiti nupsit: defuncta anno 1584. die 30. Iulij. Ericum OTTO frater senior, ex hac stirpe comitum Hoiensium postremus, in gubernatione secutus est, quem fratribus & patruelibus omnibus antea extinctis, præsente anno, die 26. Februarij rebus humanis exemptum esse diximus. cùm ex coniuge Agnete, Arnoldi comitis Bentheimensis filia, quæ prius Ioanni comiti Ritbergæ postremo nupta fuerat, sobolem nullam reliquisset. Atq; hic vetustæ & nobilissimæ comitum Hoiensium prosapiæ, quæ annos 450. à Lotharij Cæsaris Saxonici temporibus, ad Visurgin floruit, finis est.

Eodem mense Febr. in Brabantia, diu iam ardenti desiderio expectatus Andegauensis dux Francisc us, Galliæ regis frater, tandem

♀ ♂

Gerardus arch. Otto Bremæ. ☉ 1489.

Ericus, episcopus Osnabr. eiectus 1437.

IOANNES Seuerus restituere fratrem moliens, ab Osnabruggensibus captus: septennio post, per Boëmos ad bellum Susatense proficiscentes liberatus est. A. C. 1447. ☉ 1455. vxor Elisabeth, Ottonis Deipholdi comitis filia.

IODOCVS Ioannis Seueri filius, obijt 1501. vt suo loco supra annotaui. Is tres filios, Iodocum, Ericum, & Ioannem reliquit, ex quibus

IODOCVS II. Nutritius Ecclesiæ & scholarum & custos iusticiæ & pacis fidelis, ☉ 1545. relictis septem filijs, quorum nomina & annos natales anno 1525. commemorauimus. ERIcus Iodoci II. frater, in Stolenaw vitam cœlibem finiuit 1547. IOANNES in Dania & Suecia militauit, & Gostaui Sueciæ regis sororem Margaritam, coniugem meruit, ex qua IOANNEM episcopum Osnabr. Monast. Padebor. genuit, anno 1574. extinctum, & Iodocum, à Franciſco

cisco von Halle olim captum, & in custodia mortuum.

Ex Iodoci II. filijs patriam rexerunt, ALBertus primogenitus, singulari pietate, constantia & Zelo, veræ religionis exercitium publicum, post victoriam Caroli Cæsaris, & promulgatũ Interim, conseruauit. ⊙ 1563. Vxor Catharina, comes Aldenburgensis, Antonij filia. Alberto, frater ERIcus quintogenitus successit vsq; ad annum 1575. Vxor Irmgardis Ritbergica, Ioannis filia, quæ postea Simoni Lippiæ comiti nupsit: defuncta anno 1584. die 30. Iulij. Ericum OTTO frater senior, ex hac stirpe comitum Hoiensium postremus, in gubernatione secutus est, quem fratribus & patruelibus omnibus antea extinctis, præsente anno, die 26. Februarij rebus humanis exemptum esse diximus. cùm ex coniuge Agnete, Arnoldi comitis Bentheimensis filia, quæ prius Ioanni comiti Ritbergæ postremo nupta fuerat, sobolem nullam reliquisset. Atq; hic vetustæ & nobilissimæ comitum Hoiensium prosapiæ, quæ annos 450. à Lotharij Cæsaris Saxonici temporibus, ad Visurgin floruit, finis est.

Eodem mense Febr. in Brabantia, diu iam ardenti desiderio expectatus Andegauensis dux Francisc us, Galliæ regis frater, tandem

dem ex Anglia, vbi bonam hyemis partem apud Reginam Angliæ, pecuniam & auxilia petens, transegerat, in Selandiam & inde aduerso Scaldi ad mœnia Antuerpiæ appulit 19. Febr. vbi circiter 40. signa militaria, pleraq; ex ciuibus coacta, Lilijs Galli insignibus, Hispani spretis, exornata, obuiam progressa, maxima cum pompa & solennitate eum susceperunt. Dein status prouinciæ extra vrbem vno loco congregati, & ad genua eius prouoluti, per Vraniæ principem, prouinciarum clauib. palam traditis, secundum pacta ante annum in Gallijs per legatos confirmata, DVCEM BRABANTIÆ renunciantes, sese suaq; omnia in illius clientelam contulerunt. Ipse vicissim priuilegia prouinciarum, quæ LÆTVM Introitum vocant, & alios articulos, superiore anno cũ ipso transactos, iureiurando publicè confirmauit. inter secretiora verò conuentionis capita fuerunt, vt Andegauensis, Brabantia, Flandria, Geldria & prouincijs quæ illis adhærent, omnibus, pro se liberisq; suis perpetuò potiatur. Si liberis legittimis caruerit, eædem prouinciæ ad ordines Belgij redeant, vt in ijs, quem velint principem eligant. Quod ad Belgij prouincias, quas Hispaniæ rex obtinet, spectat, ordinibus inimicas, Artesianis

teſiam, Hannoniam, Lutzenburgum, Burgundiam & ijs annexas: eas idem Andegauenſis ſi occupabit, pro ſe & liberis, ac poſteris legittimis, in perpetuum poſſidebit. ſin tales liberos non habuerit, Galliæ rex ſuccedet. eædemq; prouinciæ coronæ Franciæ vnientur: vnitæq; perpetuò manebunt. Vraniæ autem princeps, Hollandiam, Selandiam & Friſiam habebit, & ab ijs dependentes ditiones, ea tamen conditione, ab Andegauenſe vt eas in feudum accipiat.

Eximia autem & ſingulari pompa, multis arcubus triumphalibus erectis, & circiter viginti elogijs, quæ ſimul collecta & edita ſunt, paſſim inſcriptis, in vrbem Antwerpiam introductus eſt, ex quibus vnum atq; alterum annotabo.

Abſtulit vt regni Domin⁹ moderamina Sauli,
Et reprobum ſancti priuauit numinis aura,
Præfecitq; ſuo regem Dauida popello,
Sic modò depulſis patria regnoq; tyrannis,
Dux generoſe tuo voluit nos marte tueri.

In arcu ad portam S. Ioannis, Symbolo Andegauenſis, SOLI radios ſpargenti, adiunctis literis, FOVET ET DISCVTIT, additum erat Tetraſtichon:

Exori-

Exoriens veluti obscuras Sol discutit vm-
Aruaq; natiuo læta calore fouet: (bras,
Non secus aduẽtu dispergis nubila princeps,
Ac libertatis spe recreas populum.
Ad suggestum propè curiam:
Venisti tandem, atq; tua expectata tueri
Ora datur. Item:
Hunc tamen euerso iuuenem succurrere se-
Ne prohibete, &c. (clo

Sed lætissima hæc noui principis initia, primùm sæuæ & horrendæ ventorum procellæ fædare cœperunt (8. Mart.) Quibus nauigia in Scaldi & mari plurima depressa; aggeres in Hollandia & Selandia rupti; Antuerpiæ ad Scaldis ripam, cellæ ac fornices mercatorum aqua completi; merces corruptæ sunt. Insignia Andegauensis, imposita Philippi regis insignibus in contemtum Hispani, ad portam VVerfæ, ventus in flumen abripuit, flumen absorpsit. Idem ventus, turriculam palatij S. Michaëlis, in quo degit Andegauensis, editiorem deiecit. ruina subiectum cubiculum, in quo dormiebat, impetijt, & media nocte, magna vi lapides impulit. Andeg. non semel exclamante ad stipatores, ô commilitones prodimur. Deinde hoc tanto metu vrbi incusso, casus multo tristior secutus est. Die enim

18. Martij, qui Andegauensis natalis erat, VVilelmus princeps Vranius, ex cuius autoritate, prudentia, consilio, fide & industria, Belgici res perturbatæ potissimùm pendebant, ab Ioanne Iauregio Cantabro, octodecim annorum adolescente, ictu sclopeti, per vtramq; maxillam traiectus fuit. Cumq; videret latro principem non statim concidere, intrepidus pugione arrepto cor principis petens, à satellite quodam cæsus ac in eo tumultu vicies aut tricies tranfossus est.

Facinore ad ciues delato, subitò multa armatorum millia, tum ad hospitium principis, vbi Andegauensis erat, tum ad D. Michaelis monasterium, vbi bona pars satellitum Andeg. manserat, conuolant: exaudiuntur magno fremitu sonantes voces minaces, Oh vesperas Siculas, proh Nuptias Parisianas, Ne musca Gallorum subterfugiet. Andegauensis cum suis trepidare, lachrymari, & sacra prophanaq; detestari atq; inauspicatum suum in Belgiam aduentum execrari. Princeps, qui mentis adhuc erat compos, per suos familiares, toto conatu sese opponens, ciues mulcens, culpamq; ab Andegauense auertens, ægrè tandem ciues placauit.

Altero die, cadauer latronis in forum expos-

exportatum statim est à multis agnitum, & palàm iactatum, mercatoris illius Hispani esse ministrum, atq; etiã alium eiusdem domesticum in ciuitate esse, qui eidem à rationibus sit. Ille è vestigio compræhensus, totam insidiarum originem ac seriem in quæstionibus aperiebat. Mercator natione Cantaber seu Bischaiensis Hispanus, Casparus Anaster, Antuerpiæ ante ànnos aliquot bonis cesserat, cùm 30000 librarum Francicarum creditores fraudasset. postea fide apud mercatores vtcunq; recuperata, rursus in eorum conuentu ferebatur, donec iterum animam debens, eadem prorsus excideret. Is in Hispaniam reuolans, cùm regis commissarijs de principe interimendo sic pacisciturvti pro laniena omne eius debitum rex soluat, addatq; dein facinore quocunq; modo possit perpetrato, ducatorum millia 80. Ille in Belgicum duobus famulis comitatus, quantis itineribus potest profectus, cum quodam sacrificio Hispano, qui Antwerpiæ multos substiterat annos, ita rem agit, vt multa millia istis duob⁹ famulis polliceatur, si facinus perpetrassent. Sacrificus frigidam suffundere, ius fasq;, imò meritum summum dicere, eiusmodi hæreticum & Reipublicæ perturbatorem è vita tollere. Imò ita interfectorem

fectorem indulgentijs, sanctorum reliquijs & benedictionibus muniturum, vt inuisibilis incedere posſit. Et si casus aliquis accideret, vt eum occumbere contingeret, sese pontificio diplomate obsignato effecturum, vt absq; pœna purgotorij rectà in cœlum subuolet. Vterq; famulus stultitia pontificia occæcatissimus, conditionem accipientes inter sese sortiuntur, & ille, cui prouincia obtigit, pontificio more sacra synaxi sumpta, post confessionem, rem ipsam, vt supra exposui, patrauit. Sacrificus vna cum altero, quem sors exemerat, illius Hispani familiari, Antonio Veneto, quadrifariam dissectus est. Autor verò consilij, captorum indicijs, Greuelingam, à Domino Lemotta Malecontento ante aliquot annos occupatam, profectus dicebatur. Pectus sicarij confossi obtectum bulla Pontificia indulgentiarum largissima fuit, adiuncto Euangelio Ioannis, cum particula linei indusij D. virginis Mariæ, capitis D. Iohannis & nescio quibus alijs.

Vranius à vulnere accepto indies magis conualescere cœperat, spesq; plane erat, ipsum breui proditurum in hominum lucem, donec vndecima die Aprilis ex rupta vena sub lingua sanguis aliquot dies fluxit, cuius cum semunciæ multæ iam profusæ essent,

essent, sisti tandem cœpit. Interim qua fuit autoritate apud populum perfecit, vt prouinciæ fœderatæ, per delectos, Andegauensi Iuramentum, tanquam suo principi, præstarent.

Parmensis, occasione huius vulneris, vrbibus ordinum fœderatis, Vranium extinctum esse scripsit, proinde redirent in regis potestatem, qui eas clementer in gratiam recepturus, omniq; clementiæ genere prosecuturus esset. Sed Vranius hoc præuidens, se viuere, & intra paucos dies restitutum iri pristinæ valetudini, omnes præmonuerat. frustra itaq; defectionem Parmensis tentauit.

Princeps Vranius restituta valetudine, die 2. Maij primùm in publicum redijt. Coniux honestissima Carola, ex illustri Gallicorum ducum de Mompensier stirpe orta, mariti incolumitate mirum in modum lætata, triduo post pleurisi extincta est. Fuit autem hæc tertia principis Vranij vxor. I. Anna, Maximiliani Egmondi, comitis Burensis filia, ex qua Philippũ VVilelmum à duce Albano in Hispaniam missum, & Mariam suscepit. II. Anna, Mauricij ducis Saxoniæ electoris filia, quæ Mauricium filium, suo materno ὁμώνυμον genuit III. Carola Mom-

la Mompenſeria. cuius familiæ ſeries hæc eſt.

Robertus, S. Ludoici Regis Galliæ filius.

LVDOICVS I. *Dux Burbonius.*

Iacobus
Ioannes *Vendomæ comes.*
Ludoicus
Ioannes

Petrus *Dux Burbonius.*
Ludoicus.
Ioannes.

Ludoic⁹, *ex Lodoica Gilberti Mompenſ. filia.*

Franciſc⁹.

CAROLVS I. *Dux Vendomæ.*

Ludoicus *comes Mompenſerius.*

Carol⁹ *Dux Burbonius.*

Petrus.

Gilbert⁹ *vicerex Neap.* 1495.

SVSANna *vxor Caroli ſobrini.*

Ludoic⁹ *I. Dux Mompenſ.*

Antonius *Rex Nauarræ.*

Ludoic⁹ *Condeus.*

CAROLVS *Burbonius in oppugnatione Romæ perijs.* 1527.

Franciſcus CAROLA *antiſtes Iouarrenſi, tertia principis Vraniæ vxor, cui ſex filias peperit.*

Cùm autem de Belgico, in Galliæ regis patrocinium & tutelam recepto, fama Conſtantinopolin emanaſſet: Antuerpiam, Turcici legati, de mutuis commercijs inter Turcas & reliquas Europæ gentes, Antuerpiæ inſtituendis, acturi appulerunt. Qui octodecim

cim mercatoribus Turcis sedem in vrbe Antuerpiensi præberi petierunt, ad quos merces Turcicas, ex Asia & Græcia, per mare mediterraneum, Massyliam in Gallia; hinc terrestri itinere Burdegalam ad Garumnam. Inde per mare Gallicum & Britannicum, Antuuerpiam aduehendæ essent. atq; huic instituto faciles successus promittebant, quod Belgicæ prouinciæ, Gallorum regi, Turcis amicissimo, iam fœderatæ; & fratri ipsius subditæ essent. Turci illi, Antuerpia digressi, per ciuitates littoris Balthici, in Poloniam Lublinum, ac inde in patriam redierunt.

In Belgico Alostum ab ordinibus receptum est. Parmensis vicissim, Tornacum, Audenardum ad Scaldim, Lyram, & alia oppida occupauit.

MINdensi ad Visurgim diœcesi, cùm Hermannus comes Scauuenburgicus, Ottonis filius, spontè renunciasset, HENRICVS IVLIVS dux Brunsuicensis, optimæ indolis & optimis literis præclarè excultus princeps adolescens, præfectus est.

ANNA, Conradi postremi comitis TECLE Burgensis, inter Osnabruggam & Monasterium sedes habentis, filia & hæres vnica, quæ in familiam comitum à Bentheim,

theim, prouinciam Tecleburgensem transtulit: Monasterij tandem ex his terris euocata decessit. Nupserat hæc Euervvino comiti à Bentheim, Arnoldi filio (1548.) qui Conrado socero, rebus humanis exempto in gubernatione ditionis Tecleburgensi succedens, & quinquennium solummodò superstes, coniugi suæ administrationem reliquit (1562.) Quam decennio post, Arnoldo filio, iam adulto tradens (1573.) Osnabrugæ & in vicinis prædijs hærens, domesticorum & ciuium consuetudine se oblectauit. Tandem luis pestilentis seminibus in vicinia serpentibus, effugere contagij periculum volens, Monasterium secessit, vbi peste correpta, die Bartholemæi mundo huic valedixit.

CONRADVS comes Tecleburgensis postremus, ⊙ 1557.

ANNA, vnica filia & hæres, EVERVVINO comiti Bentheimensi nupta 1548. ⊙ 1582. anno 20. post maritum.

ARNOLDVS comes Bentheimensis & Tecleburg. vxor Magdalena, VVolbrecht Hermanni comitis à VVeifilia

filia Hamberti comitis à Newenahr & Limburg, soror Adolphi comitis Morsiani. da vxor.

Euer-winus.	Adol-phus.	Arnol-dus Io-docus.	VVilel-mus Henri-cus.	Conra-d⁹ Hum bertus.

Eodem anno, Comitia Rodolphi Imperatoris Augustæ habita sunt, ad quæ Augustus Saxoniæ elector, Vlricus Megapolitanus, & alij Saxoniæ principes etiam profecti sunt, in quibus, ad finium aduersus Turcas defensionem à principibus contributio decreta, quam tamen ciuitates imperij, antequàm Grauamina earum cognoscerentur, dare recusabant.

Circa exitum comitiorum, Gregorius XIII. PP. Calendarij emendati, quod Gregorianum nominari voluit, formam ad Rodolphum Imp. misit, vt in Germanico etiam Imperio illud promulgaret, sicut cæteri orbis Christiani reges, in Italia, Hispania, Gallia, Belgico, & Polonia, se facturos receperant. Erat autem ratio emendationis eiusmodi instituta, vt æquinoctia & solstitia, quæ propter anni quantitatem iu

stò maiorem, à nati Christi temporibus, quindecim ferè diebus anticipauerant; ad eas sedes reuocarentur, quas tempore Concilij Niceni, in quo canon de festo Paschatis celebrando, hactenus in ecclesia vsurpatus, primùm conditus fuerat, olim tenuerunt. Decem igitur dies, inter quartam & decimamquintam Octobris interiectas, præteriri & eximi, ac pro elapsis haberi, hoc anno voluit, ita vt ea dies, quæ quartam Octobris, proximè sequitur, non quinta, sed decima quinta & sic deinceps vsq; ad exitum anni numerarentur. Sed de Pontificis consilio, & emendandi Calendarij ratione tota, ex ipsius P P. diplomate edito cognosci potest.

GREGORIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Inter grauissimas pastoralis officij nostri curas, ea postrema non est, vt quæ à sacro Tridentino Concilio, Sedi Apostolicæ reseruata sunt, illa ad finem optatum, Deo adiutore, perducantur. Sanè eiusdem concilij patres, cùm ad reliquam cogitationem, Breuiarij quoque curam adiungerent, tempore tamen excluſi, rem totam, ex ipsius Concilij decreto, ad auctoritatem & iudicium Romani Pontificis retulerunt. Duo autem Breuiario

uiario præcipuè continentur; quorum vnum preces, laudesq; diuinas, festis, profestisque diebus persoluendas complectitur: alterum pertinet ad annuos Paschæ, festorumque ex eo pendentium recursus, Solis & Lunæ motu metiendos. Atque illud quidem, felicis recordationis Pius V. prædecessor noster, absoluendum curauit, atque edidit. Hoc verò, quod nimirum exigit legitimam Calendarij restitutionem, iam diu à Romanis Pontificibus, prædecessoribus nostris, & sæpius tentatum est, verùm absolui, & ad exitum perduci ad hoc vsque tempus non potuit; quòd rationes emendandi Calendarij, quæ à cœlestium motuum peritis proponebantur, propter magnas, & ferè inextricabiles difficultates, quas huiusmodi emendatio semper habuit, neque perennes erant, neque antiquos Ecclesiasticos ritus incolumes (quod in primis hac in re curandum erat) seruabant. Dum itaque nos quoque credita nobis, licet indignis, à Deo dispensatione freti, in hac cogitatione curaque versaremur, allatus est nobis liber à dilecto filio Antonio Lilio artium & Medicinæ Doctore, quem quondam Aloysius eius germanus frater conscripserat, in quo per nouum quendam Epactarum Cyclum

ab eo excogitatum, & ad certam ipsius Aurei numeri normam directum, atq; ad quamcunque anni solaris magnitudinem accommodatum, omnia quæ in Calendario collapsa sunt, constanti ratione, & seculis omnibus duratura, sic restitui posse ostendit, vt Calendarium ipsum nulli vnquam mutationi in posterum expositum esse videatur.

Nouam hanc restituendi Calendarij rationem exiguo volumine comprehensam, ad Christianos principes, celebriores q; Vniuersitates, paucos ante annos, misimus, vt res, quæ omnium communis est, communi etiam omnium consilio perficeretur; illi cùm, quæ maximè optabamus, concordes respondissent, eorum nos omnium consensione adducti, viros ad Calendarij emendationem adhibuimus, in alma vrbe harum rerum peritissimos, quos longè antè ex primarijs Christiani orbis nationibus delegeramus. Ij cùm multum temporis & diligentiæ ad eam lucubrationem adhibuissent, & Cyclos, tam veterum, quàm recentiorum vndique conquisitos, ac diligentissimè perpensos inter se contulissent, suo, & doctorum hominum, qui de ea re scripserunt, iudicio, hunc præ cæteris elegerunt Epactarum Cyclum, cui nonnulla etiam adiecerunt,

runt, quæ ex accurata circumspectione visa sunt ad Calendarij perfectionem maximè pertinere.

Considerantes igitur nos, ad rectam Paschalis festi celebrationem, iuxta sanctorum Patrum ac veterum Romanorum Pontificum, præsertim Pij & Victoris primorum, nec non magni illius Oecumenici concilij Niceni, & aliorum sanctiones, tria necessariò coniungenda, & statuenda esse: primùm, certam Verni æquinoctij sedem, deinde rectam positionem XIIII. Lunæ primi mensis, quæ vel in ipsum æquinoctij diem incidit, vel ei proximè succedit, postremò primum quemque diem Dominicum, qui eandem XIIII. Lunam sequitur: curauimus non solùm æquinoctium Vernum in pristinam sedem, à qua iam à Concilio Niceno decem circiter diebus recessit, restituendam: & XIIII. Paschalem suo in loco, à quo quatuor, & eo amplius dies hoc tempore distat, reponendam: sed viam quoque tradendam & rationem, qua cauetur, vt in posterum, æquinoctium, & XIIII. Luna, à proprijs sedibus nunquam dimoueantur. Quo igitur Vernum æquinoctium, quod à Patribus Concilij Niceni ad XII. Calend. Aprilis fuit constitutum,

ad eandem sedem restituatur; Præcipimus, & mandamus, vt de mense Octobri anni 1582. decem dies inclusiuè, à tertia nonarum vsque ad pridie Idus, eximantur, & dies, qui festum S. Francisci, IIII. Nonas celebrari solitum sequitur, dicatur Idus Octobris. atque in eo celebretur festum S S. Dionysij, Rustici, & Eleutherij martyrum, cum commemoratione S. Marci Papæ & confessoris, & S S. Sergij, Bacchi, Marcelli & Apuleij martyrum. Septimodecimo verò Cal. Nouembris, qui dies proximè sequitur, celebretur festum S. Callisti Papæ & martyris. deinde XVI. Calend. Nouem. fiat officium & Missa de Dominica XVIII. post Pentecosten, mutata litera Dominicali G. in C. Quintodecimo denique Calen. Nouemb. dies festus agatur S. Lucæ Euangelistæ, à quo reliqui deinceps agantur festi dies, prout sunt in Calend. descripti.

Ne verò ex hac nostra decem dierum subtractione alicui, quod ad annuas vel menstruas præstationes pertinet, præiudicium fiat, partes iudicum erunt, in controuersijs, quæ super hoc exortæ fuerint, dictæ subtractionis rationem habere, addendo alios X. dies in fine cuiuslibet præstationis.

Deinde

Deinde, ne in posterum à XII. Cal. April. æquinoctium recedat, statuimus Bissextum quarto quoque anno (vti mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis, qui quamuis Bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse volumus annum 1600. post eum tamen, qui deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles sint, sed in quadringentis quibusque annis, primi quique tres centesimi sine Bissexto transigantur, quartus verò quisque centesimus Bissextilis sit: ita vt Annus 1700. 1800. 1900. Bissextiles non sint: Anno verò 2000. more consueto dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29. continente: idemque ordo intermittendi, intercalandiq; Bissextum diem, in quadringentis quibusq; annis perpetuò conseruetur.

Quo item XIIII. Paschalis rectè inueniatur, itemque dies Lunæ, iuxta antiquum ecclesiæ morem, ex martyrologio singulis diebus ediscendi, fideli populo verè proponantur, statuimus, vt amoto aureo numero de Calendario, in eius locum substituatur Cyclus Epactarum; qui ad certam (vti diximus) aurei numeri normam directus efficit, vt nouilunium, & XIIII. Paschalis vera loca semper retineant. Idque mani-

festè apparet ex nostri explicatione Calendarij, in quo descriptæ sunt etiam tabulæ Paschales secundum priscum Ecclesiæ ritum, quo certius & facilius sacrosanctum Pascha inueniri possit.

Postremò, quoniam partim ob decem dies mense Octobri anni 1582. (qui correctionis annus rectè dici debet) exemptos, partim ob ternos etiam dies, quolibet quadringentorum annorum spatio minimè intercalandos, interrumpatur necesse est Cyclus literarum Dominicalium 28. annorum ad hanc vsque diem vsitatus in ecclesia Romana; Volumus in eius locum substitui eundem Cyclum 28. annorum, ab eodem Lilio, tum ad dictam intercalandi Bissexti in centesimis annis rationem, tùm ad quamcunque anni solaris magnitudinem accommodatum; ex quo litera Dominicalis, beneficio Cycli solaris æquè facilè, ac prius, vt in proprio canone explicatur, reperriri potest in perpetuum.

Nos igitur, vt quod proprium Pont. Max. esse solet, exequamur, Calendarium immensa Dei erga ecclesiam suam benignitate iam correctum atq; absolutum, hoc nostro decreto probamus, & Romæ vnà cum Martyrologio imprimi, impressumq; diuulgar

gari iussimus. Vt verò vtrumque vbiq; terrarum incorruptum, ac mendis & erroribus purgatum seruetur, omnibus in nostro & sanctæ Romanæ ecclesiæ dominio mediatè vel immediatè subiecto commorantibus impressoribus, sub amissionis librorum, ac centum ducatorum auri Cameræ Apostolicæ ipso facto applicandorum: alijs verò in quacunq; orbis parte consistentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac alijs arbitrij nostri pœnis, ne sine nostra licentia Calendarium, aut Martyrologium simul vel separatim imprimere, vel proponere, aut recipere vllo modo audeant vel præsumant, prohibemus.

Tollimus autem & abolemus omnino vetus Calendarium, volumusque, vt omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & cæteri Ecclesiarum Præsides, nouum Calendarium (ad quod etiam accommodata est ratio Martyrologij) pro diuinis officijs recitandis, & festis celebrandis, in suas quisque Ecclesias, monasteria, conuentus, ordines, militias, & diœceses introducant, & eo solo vtantur, tàm ipsi, quàm cæteri omnes presbyteri, & clerici sæculares, & regulares vtriusque sexus; nec non milites, & omnes Christi fideles; cuius vsus

incipiet post decem illos dies ex mense Octobri anni 1582. exemptos. ijs verò, qui adeò longinquas incolunt regiones, vt ante præscriptum à nobis tempus harum literarum notitiam habere non possint; liceat, eodem tamen Octobri mense, insequentis anni 1583. vel alterius, cùm primum scilicet ad eos hæ nostræ literæ peruenerint, modo à nobis paulò antè tradito, eiusmodi mutationem facere, vt copiosius in nostro Calen. anni correctionis explicabitur.

Pro data autem nobis à Domino auctoritate, hortamur, & rogamus charissimum in Christo filium nostrum Rodolphum Romanorum Regem illustrem in Imperatorem electum, cæterosque Reges, Principes ac respublicas, ijsdemque mandamus, vt quo studio illi à nobis contenderunt, vt hoc tam præclarum opus perficeremus; eodem, imò etiam maiore, ad conseruandam in celebrandis festiuitatibus inter Christianas nationes concordiam, nostrum hoc Calendarium & ipsi suscipiant, & à cunctis sibi subiectis populis religiosè suscipiendum inuiolateque obseruandum curent.

Verùm quia difficilè foret præsentes literas ad vniuersa Christiani orbis loca deferri, illas ad Basilicæ Principis Apostolo-

rum

rum, & Cancellariæ Apostolicæ valuas, & in acie Campi Floræ publicari & affigi, & earundem literarum exemplis, etiam impressis, & voluminibus Calendarij, & Martyrologij insertis & præpositis, siue manu tabellionis publici subscriptis, nec non sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ obsignatis, eandem prorsus indubitatam fidem vbique gentium & locorum haberi præcipimus, quæ originalibus literis exhibitis omnino haberetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum præceptorum, mandatorum, statutorum, voluntatis, probationis, prohibitionis, sublationis, abolitionis, hortationis, & rogationis infringere, vel ei ausu temerario contrarire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Tusculi, Anno incarnationis Dominicæ M. D. LXXXI. Sexto Calend. Martij. Pontificatus nostri Anno decimo.

Cùm igitur Calendarium hoc Gregorianum, exeuntibus comitijs, ad Rodolphum, per Cardinalem Madrucium episc. Tridentinum, perlatum esset, Imp. se cum electoribus & principibus, qui iam plerique

discess-

discessissent, maturè deliberaturum ostendit. Cumque Augusti etiam Saxoniæ electoris consilium inter cæteros exquisiuisset: is prolixè admonet, non solùm difficultates & confusiones, in iudicijs, in historijs, in literis contractuum, aliarumq; obligationum, in nondinis, nauigationibus, solutione censuum, agricultura, in omnibus negocijs ciuilibus, & celebratione festorum ecclesiastica, ex dissimilitudine Calendarij secuturas: sed inprimis Cæs. M. & sacri imperij autoritatem, reputationem & superioritatem, à Pontifice non imminuendam, considerari in hoc negotio debere. nam præsentem Anni formam, à Cæsare Iulio primùm institutam fuisse. Deinde Carolum Magnum, Imperij Germanici conditorem, & Calendarium ipsum, & nomina mensium Germanica, Teutonicis populis dedisse. Canonem etiam concilij Niceni de festo Paschæ, non Romani Pontificis, qui ea autoritate & potentia, quam nunc possidet, nondum eo tempore fuit; sed communi Cæsaris Constantini & patrum consilio conditum esse. Concilia verò ipsa, non à Pontifice, sed Romanis Imp. indicta esse. sicut Constantiense adhuc concilium Cæsar Sigismundus collegerit, & ius constituendi

tuendi non tantùm episcopos in Germania, sed etiam Pontificem Romanum, penes Impp. ante & post Caroli Magni tempora, vsque ad Ottonem I. & deinceps vsque ad Gregorij VII. PP. ætatem fuisse. Cauendum igitur, ne nouam & inusitatam iurisdictionem, & potestatem mandandi Cæsari & imperio, hac Calendarij emendati à Pontifice præscripti receptione, Pontifici, ordines Imperij tribuant. præsertim cùm Imperij consilio & consensu non requisito, res tanta à P P. suscepta sit. placere igitur sibi, vt Deputatis totius Imperij ordinibus, breui conuenturis, res deliberanda proponatur, priusquam Cæsarea mandata, de illius obseruatione, in Imperio publicentur. Cùm autem nemo ex principibus aut ciuitatibus Augustanam Confessionem amplexis, in Saxonia & reliqua Germania, nouum Calendarium eo anno reciperet: Imperator etiam, in Cameræ iudicio, veterem & vsitatam Calendarij formam retineri eo tempore voluit.

Antequam verò ad comitia Imperij Augustana Cæsar proficisceretur, Posonij mense Aprili, Ordinum regni Vngariæ conuentus celebrauit. ad quos, de Dica seu pensione trium Vngaricorum singulis portis seu domibus

mibus impoſita: de contributione ad munitiones & præſidia in arcibus limitaneis aduerſus Turcas; & de Maximiliano fratre, vicario Vngariæ præficiendo, retulit. Vngarici proceres, viciſſim Senatum regni certum & vnum conſtitui: & præfecturis ac officijs publicis, non exteros tantùm, ſed Vngaros etiam adhiberi: & ſubditos, oneribus militum alendorum, quibus ſuſtentandis tantam vim pecuniæ quotannis contribuerent, leuari flagitabant. Maximilianum viceRegem non recuſabant, modò ita inſtructus& ornatus veniat, vt Cæſ. Mati. honori, & afflictiſſimis Vngariæ reliquijs aduerſus, hoſtem defendendis præſidio & ſolatio ſit.

Patruus Cæſaris Carolus Archidux Auſtriæ, cùm nobilitati Stiriacæ, Religionis exercitium in templo prouincialium Graiziæ iterum permiſiſſet, Senatui tamen & ciuibus, ne illuc accedant, interdicit. Cumque hi non parerent, conſules & ſcribam Martinum Pangriſium, in vincula conijcit, & pecunia mulctat, illosque ipſos cum toto ſenatu aut à templo prouincialium abſtinere, aut intra ſemeſtre domos & bona ſua vendere, & aliò habitatum migare iubet.

In

In POLONIA, mense Octobri, comitia VVarsauiæ habita sunt, in quibus capita ad deliberandum proposita per regem fuerunt: De modo liberæ ac ordinatæ regum electionis, ne, vt antea in interregnis aliquoties acciderat, si absque hærede mori ipsum contingat, nouis motibus ac dissensionibus omnia inuoluantur. De concordia inter ordines, Ecclesiasticum & ciuilem, abstinendo vtrinque ab iniurijs & contumelijs, & suum cuique tribuendo. de Iudicijs emendandis. De Narua, & cæteris Liuoniæ arcibus, oppidisque, à Sueco occupatis, bello repetendis. De Liuoniæ gubernatione constituenda. de Tattaris bello reprimendis. De stipendijs militum, & Tributis ad ea conferendis. Hæc capita, cùmplerique senatores ex reipublicæ dignitate & vsu, probarent: Nobilitatis nuncij, libertatem electionis nulla ratione imminuendã, nec tributa vlla nouis bellis aduersus Suecos vel alios mouendis, præbenda iudicantes, cùm responsio eorum à rege expectaretur: alienissimum à proposito postulatum, de euocationibus in Regiam, quibus Nobilitatis iura & libertates labefierent, omnibus abolendis, vrgent. nam inter cæteros, Stanislaus quidam Ciarncouius, magnæ apud nobi-

nobilitatem autoritatis, ob instrumenta pactorum dotalium, inter Sophiam Iagellonicam, & Henricum Ducem Brunsuicensem, initorum, apud se retenta, per procuratorem fisci; & ob Suini oppidi arch. Gnesnensis possessionem, in ius ab arch. ad regem vocatus erat. Is apud nuncios Nobilitatis vrgebat, vt euocationes omnes in Regiam, exemplo Sigismundi Augusti, qui citationes omnes, in causis fisci editas, vno decreto sustulisset, abolerentur. Etsi autem rex & Senatus regni, non omnes, sine discrimine, tolli, sed legitimas euocationes, ab illegittimis, discerni, petebant: tamen in postulato suo nuncij perstiterunt. Sicque totum tempus comitijs destinatum, consumptum: ac tandem rebus omnibus infectis ac pendentibus discessum est. Interea cognitionibus causarum capitalium, primis octo comitiorum diebus rex vacauerat. Cumque magnam prætextu libertatis, in alios inferiores & pares, insolentiam & petulantiam, Poloni quidam nobiles, freti priuilegijs, quod regi supplicium de homine nobile sumere sine Senatus regni decreto non liceat; exerceant: multos in his comitijs nobiles, homicidij aliorumque scelerum reos, ac in his Castellanum quendam,

dam, quòd alium nobilem à se interfectum comburi, & cineres, furfuribus mixtos, porcis deuorandos proponi iussisset, capite mulctari, 10 Nou mbris curauit.

Cùm legatos Moschicos, qui vt Iuramentum de pace à rege acciperent, VVarsauiam venerant, conuiuio rex Poloniæ excepisset: grauissimè edixit, ne quis ipsis, eorumue ministris, verbo factoque vllo molestiam exhiberet. Cœnantibus in aula Moschis, Polonus quidam, ministri Moschici, panem in mensa præhendentis digitos cultello petulanter stringit, vt sanguis exudaret. Huic postridiè spectantibus Moschis, ante illorum hospitium, caput præcidi iubet.

Solutis comitijs, cùm Nuncij iam discessissent, Rex cum Senatu, NOBILITATI LIVONICÆ, Religionem, priuilegia, libertatem, & pacta inter Sigis. Aug. ac prouinciæ eius ordines, quo tempore se in potestatem illius dedissent, conventa, & alia ad salutem patriæ pertinentia, confirmari roganti, respondit: Quod ad conseruationem antiquorum Iurium & libertatum terrarum Liuoniæ attinet, arbitrari Regiam Maiest. alium fuisse illius prouinciæ statum, cùm illæ libertates conce-

derentur, aliam subsecutarum rerum faciem. Nunc itaq;, dubijs hisce temporibus existimare Regem salutis & securitatis publicæ rationem habendam. Priuata igitur cuiusq; priuilegia illa se approbaturum esse, quæ vsq; ad tempora Guilhelmi Archiepiscopi concessa sunt. Quæ verò deinceps, in illa omnium rerum confusione irrepserunt, de ijs se deliberaturum, neque omnia Sigismundi Augusti Priuilegia rata habiturum, nisi quæ benè meritis collata sint. Habiturum etiam rationem eorum, qui constantes semper fuerunt, qui vacillarunt, & qui apertè perfidi fuerunt. Eos verò qui Priuilegia sua amiserunt, sufficientibus testimonijs ius suum comprobare debere. Quod ad Magistratus Liuoniæ attinet, non excluſum iri Germanos, si qui idonei sint, sed tamen Polonos & Lithuanos meritò quoque honorum & dignitatum participes esse. Nisi .n. id fiat, magnam futuram animorum exacerbationem, præsertim cùm Poloni & Lithuani vita & sanguine suo Liuoniam libertati restituerint. IVDICIA ad formam terrarum Prussiæ à Rege constituturum iri. Religionem verò in terris Liuoniæ duplicem à Rege toleratum & defensum iri, Catholicam & confessionis Augustanæ,

ſtanæ. Poſtremò, cùm Rex graues ob cauſas, arces multas demoliturus ſit; vult vt plerique nobiles, ſuas arces quoque demoliantur, & loco muri, ſepimentum, more Polono, circumducant. Quod ad captiuos attinet, laborauit quidem rex de his liberandis, ſed Moſchus omnes tranſactiones eluſit. Dabit autem rex certum numerum Boiarum, vt vel permutatione vel alia ratione Liuones captiui liberari poſſint.

CRACOVIAM ad regem, menſe Decembri TATTARI Prœcopenſis legati veniunt, tributum ſeu penſionem annuam quadraginta millium Vngaricorum, aliquot iam annis à Sigiſmundi morte non ſolutam exigentes, ac ſi non pendatur, ſeipſos eam ablaturos minantur. Simul etiam de Coſacis ſeu Circaſſis, circa pontum Euxinum prædantibus queruntur. Rex audita Barbari regis legatione, ad ſuos conuerſus: Nolo, inquit, illius beſtiæ amplius eſſe tributarius. Cumque illis ipſis diebus de Tattarorum in Podolia direptionibus & incendijs nuncius adferretur: dimiſſa legatione, Zamoiſcium regni Cancellarium aduerſus eos cum exercitu mittit.

FRIDericus Daniæ rex hoc anno in ordinem

dinem Equitum Anglicorum, quem Garterium vocant, à Regina Elisabetha per legatos receptus est. De quo, cùm multus proximis diebus sermo, in hac vrbe fuerit: breuiter de ordinis illius origine, moneo: ab Eduardo III. Rege fortissimo & felicissimo, & Gallorum victore glorioso, paucis post prælium ad Somam Cressiacense (in quo Iohannes Bohemiæ Rex, & Carolus, Philippi Regis Galliæ frater & alij Gallorum socij trucidati sunt) & Caletum ac Gunias deinde occupatas, annis, collegium illud XXVI. Equitum, quorum Rex Angliæ princeps est, institutum fuisse. cuius insigne est fascia seu ligaculum auro & gemmis fibulatum, & inscriptione Gallica: HONNI SOIT QVI MAL YPENSE id est, ignominia afficiatur, qui malè cogitat, ornatum: quo crus sinistrum, infra genu circundant, & ad mutuam defensionem & auxilium & virtutem bellicam fortibus viris dignam se deuinciunt. Id ligamen tibiarum, linguâ Anglicâ (GARTER) vocari intelligo, vndè Garterius hic ordo, D. Georgio Cappadoci, bellatorum præsidi consecratus, appellatur. De inscriptione verò Gallica duplex est opinio: Quidam enim asse-

asserunt, hoc symbolo, ceu bellica tessera, dato, Edwardum 3. in Gallijs vsum fuisse: quod cùm feliciter cessisset, de eo exornandò, occasionem quæsiuisse. Alij affirmant, Regem, dum nobilissimæ virgini saltanti fascia, quâ crus sinistrum obligarat, decideret, eam humo sustulisse: quod cum adstantes proceres obseruarent, ac inter se colligerent, eam virginem Regi in delicijs fuisse, statim subiecisse, dignum pudore & ignominiâ esse, qui sinistrum aliquid ex eo officio, virgini præstito coniectaret.

Quotannis verò ad diem D. Georgio sacrum hic ordo, solenni ritu & pompâ in aulâ Anglicâ celebratur. vespere præcedenti, Rex vnum, cui id inprimis honori censetur, ex equitibus, seligit, qui Regiæ Maiestatis vices suppleat: cui reliqui perindè ac si Regia Maiestas adesset, honorem exhibent: cui in sacellum aulæ ituro, ordine præeunt, Heroldis omnibus, quibus, saga regni insignibus exornata induuntur, præcedentibus. Is autem ex Equitibus honoratiore loco cæteris habetur & incedit, qui tempore prior, in huius societatis dignitatem adscriptus fuit. In sacello preces vespertinas Deo optimo maximo equites fundunt, quibus peractis ad Regiam Maiestatem reditur.

Vestitu solenni induuntur: primò laxiorem tunicam, ex cæruleo holoserico, indutam, loro ex filo serico artificiosè contexto cingunt: à quo pendet ensis breuior, ad antiquam planè formam fabrefactus, sine curioso aliquo capulo, inaurato tamen. tum talare & laxum pallium ex holoserico rubeo, ad fuscum colorem vergente, supraiectum circumferunt: quod sub mento connectitur. In læuum verò humerum, ex rubeo & albo holoserico, prominulam pendulam inijciunt. Tum torques ex auro puro puto, magnificentissimè in latum concinnata, tergo circumijcitur, quæ cochleis & artificiosis nodis, varijsq; gemmarum globulis sumptuosissimè interpolatur: ad cuius imam partem D. Georgius, equo insidens, & Draconem premens, formâ ouali exsculptum monile, dependet: quâ specie induti, se, innumeris, Londino, alijsque ex vrbibus excurrentibus, pompam visuris, conspiciendos præbent.

In Sacello verò precibus solenniter celebratis, singuli ordine ad altare accedunt, ac honorarium sacerdotibus offerunt. qui verò Regiæ Mis. vicarius est, is vtrinque stipatus equitibus solenniter ad altare deducitur, vbi antiquum numisma aureum,

Lusi-

Lusitanicum pondere superans, loco R. Matis offert: quod semper repeti solet, ac eius loco XX. coronati numerantur. Rex huius ordinis author, certos quosdam officiarios huic societati adscripsit. Episcopum nimirùm, qui ordinis prælatus appellatur. Is perpetuò est VVintonienſis Episcopus. Cancellarium, qui auratæ militiæ esse eques solet. Fecialem proprium, qui summus inter Heroldos est, ac Ordinis fecialis dicitur. Secretarium, qui vel auratæ militiæ eques, vel I. V. doctor esse debet. Is librum amplitudinis singularis, magnificè compactum, gestat, quo decreta Garterij ordinis inscripta sunt. Postremò loco, Admissionum magistrum, qui sceptrum Equitibus præfert: vulgo Gallica voce Huisserium siue ostiarium vocitant.

Ex sacello, ambitioso incessu reduces in primaria Regiæ camera prandent. Quod si verò Rex VVindelosoræ consistit, tum in aula Diuo Georgio sacra (quæ perangusta est) conuiuium celebratur, accinentibus tantæ solennitati tibicinibus Regijs. sedent autem singulari ordine, nullo ipsis ex opposito, præter administros obiecto. Qui verò Regias vices supplet, is iuxta Cathedram Regiæ Mis accumbit mensæ solus. Si

Rex ipse adest, non nisi illustriores Proceres ipsi inseruiunt.

A prandio eiusdem diei, sacellum, Collegæ, quod insignibus equitum præsentium varie ornatur, repetunt. Ibi inter se, precibus primùm peractis, consultant, quos Equitibus denatis, substituendos iudicent. quum de his, VVintonienſi episcopo, ordinis prælato, suffragia singulorum exquirente, conuentum inter ipsos est, tum ad Regiam Maiestatem (si ea sacello non interfuit) redeunt, & ad sensum expetunt. Siqui eliguntur, ij posteà VVindelosoram, regio planè fastu proficiscuntur, vt huic ordini in sacello, ibidem, Diuo Georgio sacro, inuestiantur. vbi posteà eorum insignia, argenteæ laminæ, cum titulis & symbolis, vexillis etiam sericis, depinguntur: quæ eo loco constituuntur, vbi ipsis ordine posteà sedes est destinata.

Ad reges & principes cæteros quod attinet; ad hos electos, ordo per Legatos transmittitur: qui posteà tenentur equitem aliquem auratæ militiæ Anglum designare, qui illorum nomine, VVindelosoræ, equitum choro, in sacello inducatur, quod installari vocant.

Sumptuosissimum autem hoc sacellum est, quemadmodum templum vniuersum:

ab

ab Eduardo III. primò extructum: sed ab Eduardo IIII. ad eam Maiestatem, quâ hodiè cernitur, perductum: ad quod lustrandum & contemplandum, ex varijs orbis partibus, homines confluunt: vbi etiam plurimorum Regum & procerum sepulchra magnificentissimè exornata visuntur: Inter quæ est Mausolæum Henrico VIII. à Serenissima Reginâ Elizabethâ extructum, quod sumptu & curiosissimi operis arte, cum quouis sepulchro per Europam certare possit.

Sedulò autem operam Reges Angliæ dederunt, vt nemo in hanc societatem admitteretur, nisi nobilitate, fide, & meritis esset conspicuus. Cuilibet verò horum iibellus datur, qui membranâ descriptos habet articulos, quibus ceu conditionibus & certis legibus, ille ordo circumscribitur: quem quisque die D. Georgio sacro gestare solet. Operæ precium hic fuerit adijcere, propter ordinis huius antiquitatem & dignitatem, primorumque equitum nobilitatem, & virtutem, quos Rex Eduardus III. primos in hanc societatem cooptarit, quos vulgò fundatores ordinis indigitant: Sunt autem hi. Eduardus III. Rex. Eduardus filius, de quo multa Frossardus. Henricus Dux Lancastriæ. Thomas Comes

VVaruici. Capitaneus de Bouche. Rodolphus, comes Staffordiæ. Gulielmus de Monte acuto, comes Sarisburiæ. Rogerius de Mortuomari, comes Marchiæ. Ioannes de Insulâ. Bartholemæus Burwash. Ioannes de Bello Campo. Ioannes de Mohun. Hugo Courtnæus. Tho. Hollandus. Ioannes Grey. Richardus Filzsimon. Milo Stapleton. Tho. VValle. Hugo VVrothesley. Nigellus Loring. Ioannes Chandos. Iacobus d' Audeley. Otho Hollandus. Henricus Eme. Zanchettus Dabridgecourt. Gulielmus Paganellus.

Hoc vero tempore, Elisabetha Regina, quæ Maiorum suorum vestigijs laudatissimis insistens, non nisi nobilitate & virtute conspicuos, hoc ordine donat, insequentes proceres, post alios plurimos denatos, etiamnùm florentes, in Garterij collegium cooptauit: quorum nomina sunt: Philippus Rex Hispaniæ. Fridericus II. Rex Daniæ. Henricus III. Galliarum Rex. Iohannes Casimirus, Dux Bauariæ, comes Pal: ad Rhenum. Adolphus dux Holsatiæ. Tho: Kateliffius, comes Suthsexiæ. Antonius Broronus, vice comes Montis acuti. Robertus Dudleyus, comes Leceftriæ. Ambrosius Dudleyus, comes VVaruici. Franciscus

ciscus Russellius, comes Bedfordiæ. Gulielmus Somersetus, comes VVigorniæ. Henricus Stanlæus, comes Darbiæ. Henricus Hastingus, comes Hungetingdoniæ. Henricus Herbertus, comes Penbrokiæ. Henricus Careyus, Baro Hunsdonius. Henricus Sydnæus, Prorex Hyberniæ. Guilielmus Cecylius, Baro Burghleyus. Arthurus Greyus, Baro VViltonius. Carolus Houuardus, Baro Effinghamensis. Eduardus Mannorsius, comes Rutlandiæ. Guilielmus Brookeus. Baro Cobhamus. Obseruandum autem, iustum equitum numerum, qui 26. constat, non semper compleri, cùm Regia Mas: certis cooptandis, locum subindè adseruare soleat. Hanc nomenclaturam Fratrum ordinis, & ritus anniversarios die S. Georgij seruari solitos, Generosus & eruditissimus, Sereniss imæ Reginæ Angliæ legatus, Daniel Rogersius, mecum, huic Chronico inserendos, benignè communicauit.

AVRei velleris ordo Burgundicus, posterior est, à Philippo Bono, Burgundiorum duce, Caroli V. abauo, ascitis in collegium 24. Heroibus, anno 1429. institutus. Post quadragesimum verò annum, Ludoicus XI. Galliæ rex, D. Michaëlis ordinem inchoauit 1469.

In

Ineunte hyeme, Franciſcus Brabantiæ dux nouus, nouas Heluetiorum & Gallorum copias, Bironio duce, in Belgicum accerſit, Quibus ad Parmenſem inde profligandum ſe vſurum oſtendit. Interea Philippi Hiſpaniæ regis claſſis Luſitanica, cum Antonij Pſeudoregis Gallicis nauibus, inſulam S. Michaelis obſidentibus, menſe Octobri conflixit, & magna cum ſuorum clade victoriam obtinuit. De Gallica claſſe tres tantùm, & in his prætoria Philippi Strozæ capta; tres depreſſæ; cæteræ in fugam coniectæ & diſſipatæ ſunt. inter quas Briſacus cum ſuis in Galliam euaſit. Antonio interea & Terceram inſulam (cui Emanuelem Syluam deinceps præfecit, priore duce, Cypriano Figueroi in Galliam ſecum abducto) & vicinum mare in poteſtate ſua retinente.

Ferdinandus, Albæ dux, qui in præcipuis bellis Caroli V. & Philippi filij legatus fuerat, & res maximas aſtu & armis geſſerat, nonagenarius tandem expirauit. eodemque menſe, Iacobus Hiſpaniæ princeps, regis Philippi filius, puer nouennis, 21. Nouembris extinctus eſt. Ducis Albani, quanquam procul à Saxonia in Hiſpanijs deceſſit: eam ob cauſam mentionem facio, quod in Saxonicis etiam gentibus, capto ad Albim

bim electore Saxoniæ Ioh. Friderico, & postea, in Belgicis regionibus, non sine maxima prouinciarum clade, quanquam se omnia regis iussu agere prætenderet, nomen illius omnium in ore fuit.

Franciscus dux Saxoniæ Laoburgensis, Francisci filius, Mariam, Iulij ducis Brunsuicensis filiam, pridie Martini coniugem secundam duxit.

Luneburgæ, LVCAS LOSSIVS, qui annos amplius quinquaginta, fideliter & feliciter, in schola illius vrbis, pubem literariam erudierat, anno ætatis 76. die 8. Iulij, in cœlestem scholam euocatus est. Epitaphium ipse sibi vno ante mortem anno composuit.

Hac placidè Lucas requescit Lossius vrna,
Parte cinis terræ qua leuis ille fuit.
Pars melior viuens cœli mens incolit arcem,
Inter, qui multos erudiere, viros.
Qui pubi decies quinos, atq; amplius annos
Tradidit hîc artes, cum pietate bonas.
Edidit & faciles qui simplicitate libellos
Nõ paucos, CHRIstiPieridumq; scholis.
Finibus Hassiacis nemorosis natus, & agris
Vaham qua præter, clare Visurge, fluis.
Hæc vbi cognoris, quò te via ducit euntem
Lector abi, & felix viue, valeque diu.

Prin-

PRincipio anni 1583. nouam gubernationis LIVoniæ formam, Poloniæ rex; de Episcopo & collegio ecclesiæ VVendensis nouo, in locum archiepiscopi Rigensis & cæterorum, qui proximis bellis aboliti ac extincti essent, à se fundando: de vtraque Religione Augustanæ confessionis, & Catholica, pariter toleranda: de tribus præsidibus, VVendæ, Derbati, Parnouiæ, & supremo Liuoniæ Gubernatore Rigæ sedem habituro: de IVDICIIS terrestribus: de conuentibus publicis, ad quos appelletur: de executione: de iure municipali: Pace publica: commercijs, etc. promulgat.

DERBATI, Senatum nouum, ex ciuibus Germanis, tribus Cos. & tredecim Senatoribus eligi permittit, anno 25. postquàm à Russis vrbs occupata & prior gubernationis forma abolita erat. RIGÆ, vbi templum Iesuitis superiore anno attribuerat, nunc Collegium etiam seu Gymnasium additurus, Præpositum Iesuitarum per Sarmatiam prouincialem, duodecim Iesuitis comitatum, ad Senatum Rigensem, cum literis regijs, mittit. Qui prolixa oratione (7. Martij) primùm vocationem suam & collegarum, quos vna adduxisset, legittimam esse, nec se sponte currere, sed à Romano PP.

&

& rege Poloniæ missos esse, literis regijs demonstrat. deinde finem ac scopum instituti ac res gestas Iesuitarum, Thrasonicè prædicat: eos omni hominum generi, statui, nationi, quæ sub cœlo est, seruire: ac omnium saluti & commodis, quantum in se est, domi, militiæque consulere, sicut superiore anno Moschicum bellum composuerint, & Liuoniæ vniuersæ, post tot annorum calamitates, pacem & quietem confecerint. se adire Anthropophagos, Brasilienses, Sinas, Iapones, Mauros, Turcas, vt eos ad Christum conuertant. In pace autem, inuentutem instituere, & pueros à primis elementis per omnes artes liberales, ad supremam vsque Theologiam informare: populum concionibus verbi Dei & sacramentis pascere: Dissidentes reges, principes & priuatos, ad pacem mutuamque concordiam traducere: ægrotis animamque agentibus adesse: captiuos visere ac solari: fontesque qui morte mulctandi sunt ad patibulum vsque comitari. & hæc omnia, non lucri alicuius aut mercedis temporalis gratia, sed gratis præstare, nihil petere, nihil sperare, nihil admittere. Imò beatos se iudicare, cùm pro his laboribus contumeliam pati, vel vitam & sanguinem profundere liceat. Tales homi-

mines, eodem spiritu, quo Menardus ille sacerdos sanctus olim, in Liuoniam venientes, vt saluti eorum præsenti ac æternæ consulant, benignè à Rigensibus excipi & foueri debere. præsertim cum conditâ Academia Rempublicam florentissimam reddere, splendorem, cultum & frequentiam ciuitati addere, sapientibus & doctis. viris eam ornare, & pecunia à peregrinis scholasticis illata locupletare studeant. Insigne hoc beneficium collegij & Academiæ Iesuiticæ offerri à rege ciuitati Rigensi non petenti, fortè nec cogitanti, quod alij principes, archiepiscopus Gnesnensis, Caliſij; Cuiauiensis in Pomerania; archiepiscopus Leopoli, & alij, summis votis experentes, consequi nondum possint. Cùm igitur cernant Rigenses, potentissimum & sapientissimum Regem & Iesuitas, commodis suis & lucris, & liberorum suorum educationi, totiusq; vrbis splendori ac ornamento, collegij illius institutione studere: vnum illud à Senatu petere, vt quorum pacificus est in vrbem Rigam ingressus, pace quoque ijs in ea frui liceat, & à nullo in suis ministerijs impediantur. Senatus Rigensis, oratione audita, deliberandi spacium sumit, & re cum ciuibus suis communicata, paulò post

Regi

Regi & oratori, pro clementissima & benigna erga se voluntate gratias agit. Collegium verò, non posse, ciuibus inuitis & repugnantibus, in vrbe institui, nec incolume ac tutum manere & durare ostendit.

Paulò post, Rigæ, vbi Senatus, antequam se Stephano Poloniæ Regi subijceret, liberam & plenam in vrbe iurisdictionem, etiam in nobiles; vrbis tranquillitatem turbantes, habuerat: Nobilis quidam ex gubernatoris ministris, in platea impetum in ciuem facit, eumque verberat, à quo tamen læsus ipse nunquam fuerat, sed puellæ ab eo amatæ mater vidua, de debito importunius compellata erat. Ciuis vim sibi illatam Burggrauio indicat, qui missis in hospitium publicis ministris, Nobilem vocari iubet. Hic elapsus, de iniuria sibi facta apud Gubernatorem regium in arce queritur. à quo citatus Burggrauius Casparus Bergius exceptionem de incompetentia fori, & priuilegia ciuitatis, & instructionem suam, qua Burggrauius nobiles in vrbe delinquentes comprehendere potest, opponit, Postea ter citatus non comparet. Tandem igitur in contumaciam, 3. Maij condemnatur, & supplex deprecari, ac veniam delicti petere, & se iurisdictioni ac sententijs Gubernatoris

deinceps subijcere iubetur. Exemplum sententiæ tum publicatæ, passim sparsum, & typis à Laurentio Myllero I C. qui nobilis illius in iudicio aduocatus fuit, antea editum extat.

MAGNVS Holsatiæ dux, Friderici II. Daniæ regis frarer, quem Liuoniæ regem, à Iohanne Moschorum tyranno nominatum, illiusque affinem fuisse; & tandem ab illo discedentem, in diœcesin suam Curonensem redijsse, diximus: die 18 Martij, in locum suum abijt. Diœcesin Curonensem ab eo relictam, nobiles quidam Polono; quidam Daniæ regi deferebant. Ioannes Behr, Danicarum partium, qui ad Daniæ regem legatus eo nomine profectus erat, à Polonis quibusdam, sine regis mandato, vt ferebatur, obsessus se defendit: donec tandem ambo Reges, Duci Borussiæ velut arbitro controuersiam ex æquo& bono transigendam commiserunt.

In Belgico, Franciscus Andeg. dux Brabantiæ nouus, aduocatis recentibus Gallorum & Heluetiorum copijs; cùm summæ Belgarum expectationi, de liberanda ex Hispanorum tyrannide patria tandem respondere, & aduersus hostem Parmensem ac Hispanos, omne sui exercitus robur conuer-

tere

tere velle, existimaretur: perfidè & fraudulenter ciuitatem Antuerpiam, Btugas, Dunkircham, Nyportum & alias, eadem die inopinantes opprimere, ac purum & liberum in eis imperium, nulla priuilegiorum, quæ seruaturum & defensurum se iurarat, ratione habita, obtinere, die 7. Ianuarij (quæ Belgis Calendario Gregoriano vtentibus dies decima septima fuit) conatus est. Historiam, Senatus Antuerpiensis ipse publico scripto exposuit, cuius hæc summa est. Cùm ab Hispanica tyrannide liberatæ prouinciæ vnitæ inferioris Germaniæ, principem requirerent, cuius potentia & beneficio defenderentur; nullum magis idoneum visum esse duce Andegauensi, filio & fratre Galliæ regis vnico, quem primo in protectorem, deinde in Dominum & principem elegerint. ad quod cùm alia, tùm & regni Galliarum situs, ad iuuandum & impediendа auxilia Hispanorum accommodus, tùm quòd regem Galliarum partes suas sicut & in contractu disertè promissum sit, interpositurum sperarent, eos promouisse. Quamuis autem meritò, cædes Parisiensis, & bella intestina Galliæ, religionis nomine suscepta, Belgas deterrere potuissent: tamen conceptam illam de bonitate, iustitia, prudentia

principis Andegauensis opinionem, tum quod in cæde Parisiensi innocens sit inuentus, & quod ipse præcipua fuerit causa pacis inter Regem & reformatæ religionis principes, Belgas induxisse, vt non tantùm eum in protectorem, sed etiam Dominum eligerent, eique fidelitatis iuramentum præstarent. Licet etiam Antuerpienses postremi fuerint in eodem principe suscipiendo: primos tamen ei fidelitatis iuramentum præstitisse, & omnibus eum subiectionis debitæ officijs prosequutos esse: cùm ex Anglia in Zelandiam veniret, non tantum literis Reginæ commendatitijs instructus, sed multis etiam principibus & Dominis eiusdem regni Angliæ comitatus, coràm quibus Andegauensis, vt dux Brabantinus & sacri Imperij Margrauius, iuramentum de priuilegijs vnitarum prouinciarum omnibus fideliter tuendis præstiterit. Quæ omnia spem calamitatum patriæ finiendarum, recuperándæ pacis, securitatis consequendæ, & pristinæ felicitatis potiundæ, incolis earum regionum feciſſe. Ideoque etiam nouo Domino, magno sumtu, triumphos, vt patri patriæ, Antuerpienses præcipuè exhibuisse, donisque maioribus ornasse, quàm ciuitatis vastatæ, incensæ, spoliatæ ab Hispanis

ſpanis recenter opes permiſerunt. Hæc cum ita ſe habeant, tamen rem ipſam oſtendere, Principem Andegauenſem, ſub prætextu iuſticiæ, nihil aliud quæſiuiſſe, quàm vt vi & inſidioſis practicis prima occaſione, ciuitates, & inter eas præcipuè Antuerpiam opprimeret. Nam & militiæ duces plurimos in ciuitatem vocaſſe, & in ſua aula hoſpitium pluribus militibus conceſsiſſe, & 4000. Heluetiorum ex Gallia accerſita, ad vrbem propius accedere iuſsiſſe, vt ſe cum reliquis militibus ibidem hybernantibus coniugerent. Deinde, cùm ſexta menſis Ianuarij, conſul Antuerpienſis, Doctor Petrus Aloſtanus, ad eum ferò admodum accederet, eiq́ue indicaret; ſuſpicari quoſdam, ea nocte tentandum aliquid contra ciuitatem, ſubmiſſeq́ue peteret, vt vna hora catenæ ciuitatis citius clauderentur: Andegauenſem multis rationibus omnes ſuſpiciones diluentem conceſſiſſe, vt ea nocte laternæ ex omnibus ædibus ſuſpenderentur. Poſtero die, qui fuit ſeptimus Ianuarij, accerſito ad ſe principi Vraniæ, conſuli Antuerpienſi, & octouiris militiæ præfectis, longa oratione vſum, tùm ipſum, tùm Quintium Cancellarium aſſeueraſſe, nunquam ſibi hæc de opprimenda vrbe in mentem veniſſe, te-

ſtatum affectionem & amorem ſingularem, cùm erga omnes prouincias inferioris Germaniæ, tum præcipuè erga ciuitatem Antwerpienſem, omnibus modis illud egiſſe, vt ſuſpicionem conceptam opprimendæ & inuadendæ vrbis, ex animis principis Vraniæ, conſulis & coctouirorum euelleret, quod quidem non difficilè factu ei fuerit. Diſſuaſiſſe tamen principem Vraniæ, ne eo die luſtrandi exercitus cauſſa vrbe egrederetur, cui conſilio ſe parêre velle promiſerat.

Sed cùm aulæ magiſter Byronius, ea nocte in caſtris pernoctaſſet, & quia conſtitutum erat eodem die in alijs vrbibus inopinantes opprimere: metuentem, ne ſi ea die intermitteretur, proditionis conſilium aliunde emanaret: hora prima ſub prandio, comitatum equitibus circiter 200. & corporis cuſtodibus omnibus, tàm Heluetijs quàm Gallis, ad portam Kipdorp nomine contendiſſe, quæ ipſius mandato etiam recluſa ſit. ante cuius acceſſum multos equites præcurrentes, per diuerſas plateas, tanquam illac tranſiturus eſſet princeps, catenas recludi & amoueri iuſſiſſe. Pertranſientem igitur portam, cùm ſecundum pontem ſublicium, iam ſuperaſſet, famulo quodam ſimulante ſe crus fregiſſe, ad illius clamorem reliquos

liquos equites & pedites in ponte subſtitiſſe, vt ea mora aduentantia vexilla equitum & peditum ſimul ingrederentur. quæ cùm portæ appropinquaſſent, ſigno dato, Gallos equites præſidia ciuium in porta collocata obtruncaſſe; & qui ſe crus fregiſſe ſimulauerat, ciuem, qui eum ad chirurgum ducturus erat, enſe confodiſſe. nec mora, nobiles Gallos omnes, præter paucos, qui cum Andegauenſe exierant: in ciuitatem redijſſe, clamitantes: Ciuitas victa, ciuitas in poteſtate eſt, viuat Miſſa, viuat Miſſa. Andegauenſem autem acclamaſſe militibus, vt citò & celeriter ingrederentur, ciuitatem enim in poteſtate eſſe, & ſic ſigna peditum 17. & 4. equitum ingreſſa. mandaſſe ſimul Andegauenſem, vt Heluetij cum reliquo exercitu etiam accelerarent. eoque faciliorem fuiſſe Andegauenſi ingreſſum, quod hora prandij eſſet, & omnem ſuſpicionem antea ipſe ex animis ciuium remouiſſet.

Gallos igitur ingreſſos vrbem, primùm portæ mœnia occupaſſe, deinde per diuerſas plateas ad interiora vrbis penetraſſe, vociferando, Interfice, Occide, viuat Miſſa, Ciuitas in poteſtate eſt. Ciues autem animaduertentes vrbem hoſtiliter inuadi, confeſtim ex ædibus ſe proripientes initio val-

dè paucos se muri instar vniuerso exercitui oppositisse: & ne vlterius progrederentur catenis obiectis, vetasse. Interea ciuium aliquot signa se collegisse, quos omnipotens Deus ita animârit, vt hostes terga vetere cogerentur. Ibi Gallos, qui antè plenis signis ad forum vsque penetrarant, & obuios quosque interficiebant, quique portam & mœnia vtrinque plus hora vna occuparant, ad portam recurrentes, non paucos in fossam se præcipitasse. Etiam in propinquo vrbis fuisse Heluetiorum signa cum toto exercitu, quem summa diligentia ex Burgerhaut euocarat, vt ingressis auxilio essent. Ciues verò, qui iam mœnia recuperarant, tormenta maiora in aduentantes disploſisse. Cùm igitur Heluetij totusque exercitus cognosceret, res aliter, quàm existimarent, in vrbe cessisse, vlterius non progressos, neque ingredi alios potuisse propter aceruos cadauerum in porta accumulatos. Ex ciuibus fortissimè dimicantibus pro salute patriæ interfectos exceptis vulneratis, circiter 30. ac inter hos ex Octoniris fortissimum virum Adrianum Vierendels Alostanum, & capitaneos quosdam virtute præstantes. Ex parte Gallorum cæsos plures 1500 præter vulneratos & captos & postea

ſtea ex vulneribus mortuos. Captos circiter 1400 & inter hos non paucos nobiles & Dominos.

Andegauenſem eadem die miſſis in vrbem legatis, ſatis ſignificaſſe, à ſe hanc totam actionem inſtitutam. Legatis nihil reſponſum, ſed reiecta omnia in deliberationem Principis Vraniæ, & ſtatuum Brabantiæ, quibus placuerit certos legatos ad Andegauenſem mitti. Qui inde ad cœnibium S. Bernardi, inde in Duffel & Viluordiam profectus, ex itinere literas ad ſenatum Bruxellenſem & Mechlinienſem dederit, quibus culpam omnem in Antuerp. reiecerit; factumque ita extenuârit, vt tumultum inporta ſubortum appellârit. Antuerpienſes paulò antè Principi Andeg. 70000. florenorum ad ſoluenda ſtipendia militum veteranorum contulerant, qua pecunia ad opprimendam vrbem vſus eſt. Nec verò Antuerpiæ tantùm proditionem hanc ſceleratam Galli tentarunt, ſed eadem die, eademque hora, in multis ciuitatibus, Brugis, Dendermunda, Dixmuda, Nyportu, Dunkerka, VVinociberga, Viluorda, eadem proditio inſtituta eſt, in quibus plerisque feliciter, ſed Brugis infelicius, hic conatus Gallis cecidit.

AC ne Belgicum solum tumultuaretur; in vicina etiam Colonienſi diœceſi, Bellum, ineunte hoc anno, funeſtum Gebhardo archiepiſcopo exarſit. Qui cùm poſtridie Natalis Chriſti, Declarationem ſuæ voluntatis, de doctrina Euangelij & adminiſtratione ſacramentorum cum verbo Dei & confeſſione principum ac ſtatuum Auguſtæ Carolo V. exhibita congruente, ſubditis ſuis eam expetentibus permittenda, & libero exercitio vtriuſque Religionis, Pontificiæ & confeſſionis Auguſtanæ, iuxta pacem Religioni in Imperio datam, defendendo, publicaſſet: ſtatim Pontifex, Imperator & alij principes pontificij, ſenatuſque ciuitatis Colonienſis, apud capitulum de alio eligendo inſtiterunt. eoque res deducta eſt, vt archiepiſcopus ad ſui inſtituti defenſionem milites conſcriberet, prius tamen ciuitate Bonna & alijs pleriſque locis oportunis occupatis. Alexander dux Parmenſis, Belgiæ Gubernator, auxilia tàm Capitulo quàm Senatui Colonienſi, per Carolum comitem Arenburgenſem legatum obtulit, & neutiquam hæc ferenda ſuaſit. Electores & principes coniuncti Auguſtanæ Confeſſioni, archiepiſcopum non deſerendum initio iudicabant, ſic vt vtraque pars ſuos haberet fautores

tores Sed rem aliquantò altius repetam.

Ante declarationem archiepiscopi publicatam, propter res non maximi momenti, odia inter eum & senatum Colonienſem gliſcebant. acceſſit poſtea denegatio exercitij Auguſtanæ confeſſionis ciuibus à ſenatu facta, ob quam principes eiuſdem confeſſionis, ciues adiuuerunt. Vnde factum, vt plerique Auguſtanæ Confeſſionis ordines, apud legatos ſenatus, in ſuperioribus Comitijs, pro ciuibus intercederent, hanc addentes rationem, quia tertia pars ciuium exercitium liberum petat, ſenatum ad id teneri. Re ad ſenatum delata, is ciues ad archiepiſcopum remiſit, quaſi huic ſoli incumberet, negotio religionem concernenti proſpicere. Ciues Electorem adeuntes, non tantùm facilè, vt in tribus templis puram doctrinam publicè profiteri liceret, ſed & mandatum, ne ſenatus eos impediat, obtinuerunt. At Senatus, qui nunquam illos quicquam obtenturos putarat, ſpe fruſtratus, rem ad Imperatorem & Capitulum prius referendam eſſe prætexuit. Quare ciues ſe eludi perſpicientes rurſus vicinis principibus noſtræ religionis ſupplicarunt.

Dux ergo Ioannes Palatinus, tàm electoris Palatini, ciuſque fratris Ioannis Caſimiri,

miri, quàm suo nomine, ad archiepiscopum, deinde in ciuitatem Colonienſem contendit, intercedens inter archiepiscopum & Capitulum, item inter ciues & senatum. Interceſſione principum capitulo expoſita, ad conuentum ordinum archiepiscopatus res reiecta fuit. is habitus est 27. Ianuarij, in quo licet multiviri boni pro electore sententias strenuè dixerunt, tamen à diuersum sentientibus multitudine votorum victi sunt. maioribus concluſum, archiepiscopum cedere debere, & ante omnia Capitulo & statibus quæ abstulit restitutis, cum eo de certa annua pensione agi posse. Legatis principum ac ciuitatum nihil omnino responsi datum. sed Friderico duci Saxoniæ chorepiscopo iniunctum, vt conducto milite, Diœceſin nomine Capituli occupare, & Bonnam recuperare studeret. Is præter multorum expectationem primo aditu Cæsaris VVerdam obtinet. Quare consultius legatis visum, Electorem Colonienſem ex illis locis ad tutiora se conferre, donec iustus exercitus conscribi possit, relicto Bonnæ fratre Carolo & comite Friderico Zollerenſi cum præsidio 500 militum.

Elector Colon. priusquam abiret, nuptias cum AGNETE Mansfeldica, Bonnæ,

næ, publicis ritibus celebrat. Erat hæc Iohannis Georgij comitis Mansfeldiæ filia, qui ex Catharina, Alberti comitis M. nata, tredecim liberos, ac in his Agnetem istam ingenio & forma præstantem reliquit. ac Mansfeldiæ comitum Genealogiam alibi recitaui.

Adiungo autem archiepiscopi etiam familiæ Truxesiæ in Sueuia latè propagatæ, seriem; vt cognatio huius, cum Ottone Truxesio Cardinale Augustano, & alijs, cerni possit.

Eberhardus. *Vxor Agnes, ducis Tekensis filia*
|
⊖ 1386.

IOANNES anno 1400. solus ex tota familia Truxesiorum superstes. ⊖ 1403. *vxor quarta, Vrsula ab Abensperg.*

Eberhardus, *emit comitatum in Sonneburg.*

Iacobus, *læstinam profectus* ⊖ 1460.

Georgius ⊖ 1467.

Ioannes, *præfecturam Sueuiæ vendidit Duci Austriæ* ⊖ 1505.

Ioannes, *Ulrico duci VVirtebergico iuueni familiaris,* ⊖ 1511.

VVilel-

♂

VVilelmus *Senior.*

♀

GEORGius *Dux fœderis Sueuici in bello VVirteb. 1519. et Rusticorum 1525. consiliarius Caroli V. & Gubernator ducatus VVirteb. nomine regis Ferdinandi,* ☉ *1531. Stutgardiæ*

Christophorus *ex Tunetana expeditione rediens Pauiæ in Italia* ☉ *1535.*

Iacob⁹ ☉ *1542. in Vngaria.*

OTTO *Cardinalis Augustanus.*

VVILELMVS. *vxor Ioanna, Friderici comitis Furstenbergij filia.*

Fridericus. ☉

GEBHARdus *archiepiscopus Coloniensis electus 1577.* ♂

Ferdinandus *in Belgico periit 1585.*

CAROLVS *Bonnæ capit⁹ vxor Eleonora, Caroli Zolleren* ♄

Christophorus *apud Ferd. Austriacũ aulæ præfectus, vxor Anna Mayr pulsus*

α pulsus 1583. vxor Agnes Mansfeldia.

β sis filia.

γ ria, Henrici Furstenbergici filia.

Gebbardus Elector, peractis nuptijs, Dillenbergam iter conuertit. istinc Marburgum, & tandem in VVestphaliam peruenit, ac primo aduentu 300 equitibus & aliquot sclopetarijs loca illa occupauit, & nouo iuramento omnes subditos sibi deuinxit.

Decima octaua Martij conuentum ordinum VVestphaliæ, Colonienſi diœceſi coniunctæ, indixit, ad quem legatos elector cæteriqúe Palatini, vna cum Landgrauijs Hassiæ miserunt. inprimis autem, diligenter & fideliter, Ludoicus elector Palatinus & apud Cæsarem & capitulum & Senatum Colonienſem pro Gebhardi Truxesij dignitate & statu retinendo laborauit. quem vicissim virulentissimè Cleinsorgius quidam, præcipuæ inter consiliarios prouinciæ illius autoritatis oppugnauit.

Postquam verò Bonnâ Gebhardus discessit, Carolus comes Arenbergius, 4000. peditibus & 600 equitibus Bonnam accessit, dediqúe sibi nomine Capituli postulauit, addita comminatione, ni id feciſſent, subsecuturum totum exercitum Hiſpaniæ regis

gis obsessurum ciuitatem. Quo cognito archiepiscopus, dissimulata electoris dignitate, cum paucis ad Ludouicum electorem Palatinum & fratrem illius, Iohannem Casimirum, auxilia petendi, & milites conscribendi caussa profectus est. ac Ioannes Casimirus, rogatu illius, equites & veteranos pedites, ex Heluetijs & Rhenanis prouincijs, vicinisque regionibus conscribere & conuocare iubet.

Cùm igitur vtrinque bellum appararetur, ecce legatus Pontificis, Andreas Cardinalis Austriacus, Ferdinandi archiducis ex Philippina VVelseriana secundo genitus, cum Iohanne Francisco Vercellensi, face belli inter ducem Sabaudiæ & Bernates, alioque episcopo Italico, item auditore Rotæ vno, & quatuor Iesuitis, 140 equitibus comitatus, per ducatum VVirtenbergensem & Palatinatum, Spiram 5 Martij ingreditur. Iohannes Casimirus, ab eo salui conductus nomine requisitus, planè denegat, nisi prius tradat episcopum Vercellensem, promittatq; se ea, quæ in mandatis à Pontifice habeat, non executurum. In continenti quoque subditos suos conuocat, omnes aditus viarum diligentissimè obseruat, aliquot præcipuos ministros Cardinalis

capit

capit & custodiæ tradit, literas quorundam principum intercipit, & ipso facto Pontificiorum se hostem declarat. Cardinalis videns se vlterius progedi non posse, quatriduum Spiræ commoratur. tandem verò senatu Spirensi deprecante, vt alio se confertet, ne administrationi iustitiæ impedimentum afferret, ciuitati vicinos principes inimicos redderet, & ciues in se irritaret propter vigilias extrordinarias; retrò Hagenoam & inde Brisacum ac Oenipontem reuertitur. Vercellensis verò per Lotharingiam, archiepiscopam Treuirensem, & Luceburgicum ducatum, Coloniam versus iter instituit.

Summa legationis fuit, vt nomine Pontificis, archiepiscopum dignitate ecclesiastica priuaret, & Capitulo alium eligendi potestatem faceret. quibus peractis, inuocato brachio seculari Pontificiorum, vi nouum electum introducant, confirment & defendant. Erant etiam quidam ex principibus circuli Rhenani, qui exercitum conscribendum putarent, ad defensionem constitutionis Imperij de non introducendo intra fines Imperij externo milite, quod à Capitulo Colonienſi factum conquerebantur. Imperator quidem sedulò de his rebus monebatur, verùm is clam episcopos & alios

Pontificios hortari vulgò credebatur, vt Capituli partibus se adiungerent. Interim non cessans à ciuitatibus Imperalibus collectas efflagitare, quæ Heilbronnæ conuenientes tum quidem petitionem denegarunt.

Conuentum tamen trium electorum, Moguntinensis, Treuiri & Palatini, Bingæ Cæsar indixit, vt compositionem inter Gebhardum electorem ac Capitulum Coloniense tentarent. Sed vbi legati Palatini præfixa die comparuerunt, personasque ad illum actum legitimare voluerunt: Moguntini, mandata recipere recusarunt, prætendentes nulla compositione deinceps opus esse, quòd Pontifex Gebhardum Truchsesium iam episcopatu & electoris dignitate priuarit, capituloque petente diem 22 Maij præfixerit, intra quem alium eligere debeat. ideoque nec imperatori, neque sibi licere, contra voluntatem pontificis in causa illa quidquam amplius agere. Sic à Pontificijs delusi legati infecta re Heidelbergam remissi sunt.

Coloniæ, Gebhardus cum quatuor Canonicis, vti antea quoque Romæ factum erat, per duos episcopos Italicos, vt hæretici priuati, eorumque imagines à pueris per ciui-

ciuitatem tractæ, in Rhenum prouolutæ sunt. ac ERNESTVS Bauarus, Alberti filius, procurante Pontifice, Imperatore, Parmensi, & alijs, 22 Maij electus est. In cuius nomen, paucis interpositis diebus, à Capitulo possessa iurarunt. At Bonnæ traditionem frustra quæsiuit. Quare Parmensi à Pontifice & Imperatore immissio demandata est. Is ad eam obsidendam aliquot millia peditum & equitum, ducibus Salentino Eisenburgico, Carolo Arenburgico, Reifferschidio & chorepiscopo Friderico duce Saxoniæ Lawenburgico misit, qui licet exercitum in vicinia haberent, tamen obsidionem non cœperunt.

Ioannes Casimirus dux Palatinus interea exercitum colligere cœpit, & in his selectissimas cohortes ex Heluetijs & Gallis conscripsit, qui decima Iunij Abbaciam Murbacensem & episcopatum Basiliensem ingressi, cùm Archidux Austriæ in Alsatia transitu eos prohibere tentasset: viam vi sibi aperuerunt. quorum dux fuit Petrus Beuterich, Ioanni Casimiro Palatino à consilijs, qui per Rhenum descendens, egregio stratagemate Ernesti Bauari exercitum, qui Andernaci oppositus ei erat, delusit, omnesque incolumes Bonnam deduxit, vbi quies pau-

cis interpositis diebus militibus data est; post eruptione facta, hostes satis feliciter aliquot velitationibus tentauit, quædam etiam loca, præda militibus concessa, & inter hæc pagum Tuicium, qui è regione Coloniæ situs est, expugnauit. Sed reducto milite, Salentinus illum locum iterum occupauit, impositio præsidio 200 sclopetariorum. Hi paulò post ad internecionem omnes à Gallo milite occisi, & totus pagus cum vetustissimo monasterio, perpetuis Ruperti Abbatis Tuitiensis scriptorum monumentis celeberrimo, ibidem igne deuastatus est.

Ioannes Casimirus exercitum in comitatu Sein lustrare incipiens, statim præfectorum suorum fraudes consuetas perspexit, qui cohortes promissas integras non adduxerant. parùm etiam archiepiscopus Gebhardus, fortè rei militaris peritia adhuc destitutus, eorum quæ promiserat & ex conuentione debebat, præparauerat, ideo sex integræ septimanæ, in vno eodemque loco consumptæ sunt, cum summo detrimento subditorum eius loci. postea vbi tandem exercitus promoueri cœpit, Cæsaris & Iuliacensis legati castra adeunt, qui præfectos omnes ad defectionem clàm adhortati sunt, additis etiam minis, nisi relictis castris, etiam in-

uitis

uitis eorum ducibus discedant, breui omnes in periculum bonorum, famæ & vitæ peruenturos. His auditis præfecti, Rhenum transire & hostem aggredi detrectarunt, sedtantùm stipendia, hyberna, & obsidibus non tantum de futuris stipendijs, sed etiam si proscribereutur ab Imperatore & Electoribus, de restituendis bonis & honoribus, sibi caveri petierunt. & licet dux per suos & alios cum ijs clementer & amicè ageret, vt seditiones sopirentur, tamen omnia frustra tentata sunt.

Dum itaque in ea ripa Rheni castra sæpè moueret, & tandem omnino de obedientia desperaret, imò propria persona apud suos tuta non esset, nam obseruabatur, ne castris, etiamsi maximè voluisset, egredi posset, sicque in summo periculo inuasionis & proditiouis suorum versaretur: nuncij, qui de fratris Electoris obitu (qui 12. Octobris manè inter horam 5. & 6. placidè in Christo obdormiuit) referrent, tempestiuè aduenerunt. cuius obitus inopinatus, animos omnium præfectorum & militum ita mutauit, vt vnanimi consensu suaderent, exercitum statim dimittendum, Electoratum occupandum: &, vt mandatis Imp. quibus milites in vtrisq; castris auocauerat, obedientiã

præstare velle ostenderent: legatis Imp. & Electorum, simul ac gregario militi, hanc causam dimissionis significandam placuit. Quare altero die exercitus dimittitur.

Cæterum dum hæc aguntur in castris, legati Imp. & Electorum, Francofordiæ, inter Ernestum & Gebhardum compositionem tentant. vbi cùm duos menses integros ea de re disceptassent, tandem proponunt hæc media: Gebhardum dignitati electoris & archiepiscopi (restitutis omnibus prouincijs, ciuitatibus, castris, villis, priuilegijs, documentis, thesauro) renunciare, & arbitrio Ernesti de annua pensione, quæ statui ipsius conueniret, prospicienda relinquere debere. At hæc media Gebhardus simpliciter respuit. itaque magis ex vtraque parte exasperatis animis discessum 23. Nouembris, quo die Adolphus comes in Neuenar, Morse & Limburg, Dominus in Alpen, Betbar & Lenep, ad oppidum Huls, cum Ernesti exercitu, occisis 2000. qui omnes ferè veterani fuerunt, & antea stipendia Hispanica, duce Albano, meruerunt, abducta perampla præda, felicissimè conflixit.

Exeunte Nouembri Ernesto arx Poppelsdorff, cùm ter frustra oppugnata esset, cessit, & ante octiduum arcem Gudensberg

propo

prope Bonnam sitam, cùm multos suorum in oppugnatione amisisset, & planè expugnationem desperaret, cuniculis actis puluere tormentario maxima ex parte disiecit, quo pacto eam quoque expugnauit. à quo tempore propius & arctius Bonnam obsidere cœpit, quæ sequentis anni initio à militibus Gebhardi præsidiarijs Ernesto tradita est. Huic Colonienſis belli, præsente anno gesti, Tragœdiæ, binas Pontificis Romani literas, coronidis loco adiungere qui volent poterunt. quarum prioribus, ad fidei Catholicæ constantiam, & reuerentiam Romanæ sedis non violandam, Gebhardum hortatur, & de secuturis, si pergat, pœnis præmonet. posterioribus, eundem omni dignitate & officio Archiepiscopi priuat, & collegio Colonienſi mandat, ne ei deinceps pareant, sed alium quàmprimum eligant.

HENRIcus Nauarræ rex, cùm magno in periculo esse archiepiscopum Colonienſem, eandem cum ipso religionem amplexum, & alias Pontificiorum aduersus se institutas proditiones intelligeret: Legatum ad electores & principes, puriorem euangelij doctrinam in Germania profitentes misit, primùm de Concordia ecclesiarum, in Germania, Gallia, Anglia & alijs genti-

bus, emendatam religionem amplectentium, vniuersali, per SYNODVM generalem constituenda. Deinde vt communi fœdere principes reformatam religionem sequentes, aduersus Pontificis Romani & cæterorum Papæcolarum conspirationes & persecutiones, se ad mutuam defensionem coniungant & obligent. Quod vt persuadeat, in mandatis legato datis, ecclesiarum in præcipuis Europæ regnis reformatarum statum & pericula præsentia ac imminentia breuiter designat. Inprimis verò hortatur, vt archiepiscopum Colonienſem Gebhardum, puriorem religionem amplexum, ideoque à Pontifice depositum, & bello acri oppugnatum, nequaquam deserant, sed omni ratione tuendum & conseruandum statuant. ad cuius belli sumptus, se, gemmarum, pecuniæ, & suppellectilis vim non contemnendam legato suo tradidisse, vt eius causæ defensionem, magnæ sibi curæ & cordi esse intelligatur.

Etsi autem ab omnibus principibus, ad quos accessit, legato benignè responsum est: tamen nouis in Gallia, post Andegauensis obitum, incidentibus de regni successione disputationibus ac turbis, pericula aucta sunt.

In

In Germania etiam, durior principum & statuum, puriorem doctrinam profitentium conditio facta est. Cùm enim IVDICII CAMERÆ Visitatio mense Iunio instituueretur, in qua, Cæs. M. nomine, principem locum Andreas Geil tenebat; quia Confessioni Augustanæ adiunctis, aduersus Pontificios, de spolijs aut pignorationibus iniustis querentibus; antea religionis Pontificiæ & Euangelicæ Assessores pari numero vtrinque sex deligebantur, qui de causis illis cognoscerent, & Decreta toti Senatui iudicum referenda conderent; sæpè accidebat, vt inter delectos paria vota manerent, nec de certa sententia & decreto conueniri vnanimiter posset. Id cùm inter cætera visitatoribus à Iudicum senatu indicatum esset: visitatores, qui pleriq; Pontificij erant, Processum in eiusmodi causis, donec in comitijs, de eo, communibus ordinum Imperij suffragijs decernatur, inhibent ac suspendunt. atque ita assessoribus, qui Augustanæ confessionis sunt, in causis, quæ constitutionem pacis publicæ & Religionis concernunt, aduersus pontificios procedendi, potestatem adimunt. Hoc visitatorum, collegarum suorum, audax & temerarium decretum, per legatum electoris Brandeburgici Ada-

mum à Puttlitz, & Syndicum Spirensem, quos solos visitandi ordo, cùm sex vota Pontificij contra duo nostrorum haberent, attigit: per publicam protestationem prolixè impugnatum, cum integris actis ad electores transmissum est, vt omnibus publicè constare posset, Augustanæ confessionis consortibus, nullam amplius spem in æquali administratione Iusticiæ, super præcipuis constitutionibus Imperij, contra Pontificios superesse. Sic expeditionem puncti iusticiæ, qui coràm deputatis, iuxta recessum Augustanum anni præteriti, Spiræ 15 Maij tractati debuit: Imperatoris & Moguntini consiliarij, nulla expressa causa inpediuerunt, frustra expectantibus per multas septimanas, Principum legatis, quod nunquam antea factum esse in Imperio asserunt.

Nec his contenti Reuisores Pontificij, 27. Iunij aliquot sententias, 30. Octobris anni præcedentis publicatas, in causa Ioachimi Comitis de Ortenburg, contra ducem BauariæVVilelmum, summum eius persecutorem, ob reformationem in comitatu Imperij anno 73. susceptam, non tantùm contra iura, constitutiones Imperij & stylum hactenus, tum inter alios innumerabiles, tum inter easdem partes inuiolabiliter obseruа-

seruatum, sed & contra decreta omnium Electorum, anno 75. & statuum, anno 76. & 82. in comitijs data, in gratiam Ducis retractarunt. Qua de causa, Comes, qui se nimium grauatum sensit, rem ed electores, & reliquos status Imperij detulit. Quod & collegium adsessorum, interitum constitutionum ratione pignorationum & arrestorum promulgatarum, per quas pax & tranquillitas publica inter status, imò maiestas Imperij & Imperatorum hucusque conseruata fuit, & quibus tyrannidi potentiorum aduersus inferiores status occursum est, prospiciens, fecit: ideoque Imperatorem & Electores, diligenter admonendos censuit. Qua etiam de causa, politici electores, conuentum ordinum August. Confes. omnium, Mulhusij, ad 28. Octobris indixerunt. qui tamen, exempto interea rebus humanis Palatino electore, successu caruit.

Is mortua priore coniuge Hassica, ex qua vnicum solummodo filium Fridericum, & duas filias superstites habebat; Gustaui Sueciæ regis, ex filia Catharina, Ezardi Frisiæ principis coniuge, neptem, ANNAM, sedecim annorum puellam postridie Cal. Iulij duxerat. cùm fortè Carolus Sueciæ princeps, sponsæ auunculus, & Ludoici Palati-

latini gener, vna cum coniuge & sponsæ parentibus adesset. Carolus peractis nuptijs, in Sueciam regrediens, 17. Augusti ex Draui ostio soluit, ad quod ventos secundos aliquot dies expectantem, Adolphus Holsatiæ, & Christophorus dux Megapolitanus, in cuius coniugio altera Caroli soror Elisabetha viuebat, inuiserunt. Ipse etiam Carolus, ad Daniæ regem Fridericum, & Vlricum Megapol. illius socerum, Segebergam expatiatus est. Palatinus verò Ludoicus elector, ipsis nuptiarum diebus, in morbum, lentum quidem, sed lethalem, incidit, quo, die 12. Octob. tandem extinctus est.

Mortis illius nuncio, ad Casimirum, vt paulò ante memini, in castra delato, cùm promissa ab archiepiscopo Gebhardo stipendia non soluerentur, & aliæ difficultates, præter superiùs expositas, accederent: Casimirus, qui causis susceptæ expeditionis illius, scripto grauissimo publicè explicatis, ingentem de se totius Europæ expectationem concitarat, pendentibus adhuc ad Coloniam rebus, die 20. Octobris exercitum dimisit. & reuersus, Electoris Palatini ditionum, Tutelæ & administrationis nomine, Gubernationem adiuit.

In Belgico, Statuum copiæ, ad secundum

dum ab Antuerpia lapidem, prope Rosendal, à Malecontentis die 8 Iunij profligatæ, & Dieſtum, aliaque Brabantiæ oppida & arces, receptæ. DVNkirchia etiam Flandriæ oppidum maritimum & munitiſſimum, poſt Andegauenſis diſceſſum: Item Nyportus, Dixmuda capta: HYPERA obſeſſa: & Sutphania, 2. Septembris à regijs occupata eſt. Vraniæ Princeps, qui reconciliationem cum Andeg. adhuc ſuadebat, quem velut Deum ſeruatorem antea Antuerpiæ amauerant & coluerant, nunc verſis vulgi voluntatibus, in odio erat, & captiui inſtar, certis militum præſidijs in hoſpitio ſuo, ne exire, vt cupiebat, in Selandiam, ad nuptias quartas, cum Caſparis Caſtilionei Amiralis Galliæ filia celebrandas poſſet, cuſtodiebatur. nec fortè dimiſſus citò fuiſſet, niſi Hollandiæ & Selandiæ Ordines ſe commeatuum in vrbem Antuerpienſem importationem prohibituros minati fuiſſent, ni principem ac Dominum ſuum liberum ad ſe egredi permitterent. Menſe Octobri, in Flandriæ partem Scaldi finitimam, Parmenſis impreſſione facta, VVaſiam, à præfecto ſuo traditam, vnà cum arce Rupelmonda, Antuerpiæ vicina, & oppidis Hulſt & Axel, permiſſa colonis incolumitate, &

te, & bonis omnibus, si centum millia aureorum contribuerent, & pacificè se gererent, nomine Philippi regis Hispaniæ occupauit. Qui rex, paulò ante missa in Azores insulas classe 98. triremium, TERCERAM, inter Azores seu Falconum insulas præcipuam, long. 358. lat. 37. quæ Antonij nothi præsidio hactenus tenebatur, vi ad deditionem exeunte Iulio coëgit, atque ita totius oceani Lusitanici & Africani dominio potitus, & in Lusitaniæ regno, nemine amplius publicè aduersante, confirmatus est.

ELISabetha, Angliæ regina, Constantinopoli legatos, de negotiatione Anglorum libera, & Bailo, seu Iudice proprio, qualem Veneti habent, ibi constituendo habuit. quo tempore, bello Persico, post tentatam superiore anno pacem, sæuius recrudescente, Ferrat Bassa, cum plerisque Ianizaris, aduersus Persas missus: Imbre Bassa, Ægypto præfectus erat, vt Arabiæ felicis populos rebelles compesceret. In Arctoo hoc orbe, Catharina, Ioannis Sueciæ regis coniunx, Sigismundi I. Poloniæ regis filia, die 17. Septembris, relicto vnico filio SIGISMundo rege Sueciæ electo, è viuis sublata est.

Maria, Pomeraniæ ducis Philippi coniunx, Ioannis Saxonici electoris filia, cùm

23. an-

23 annos marito superstes fuisset, postridie epiphaniorum ex his terris euocata est.

FRIDEerico VVilelmo Saxoniæ duci, Sophia, Christophori ducis VVirtenbergensis filia, à Ludoico fratre VVinariam adducta & in matrimonium tradita est. Ex nuptijs verò illis cum Ludouico marito reuertens Dorothea Vrsula, Caroli Badensis filia, Noribergæ, in ferijs Pentecostes extincta est.

Georgius etiam Ernestus, HENNEBERGensis princeps postremus, in cuius coniugio Elisabeth, altera soror Ludoici VVirtenbergensis viuebat, hoc ipso anno in viuis esse desijt. cùm ante eum frater POPPO, cui Elisabetha marchica, Erici senioris ducis Brunsuicensis vidua, deinde Sophia Ernesti Luneb. filia nuptæ fuerunt: nullis post se relictis liberis obijsset. Nati autem erant hi duo principes, patre VVilelmo, pio & constantissimo in veræ religionis doctrina principe, cui sexta pars Operum D. Lutheri Germanica inscripta est. qui viuum dulcissimæ promissionis Psalmi exemplum fuit: Plantati in domo Domini, in atrijs Domini Dei nostri florebunt, atque etiam in senecta virides & florentes erunt. Senex enim, non canis modò & annis, verùm etiam antiqua virtu-

te

te & fide grauis, annum ætatis 81. egressus, tandem piè & placidè in cœlestis vitæ consuetudinem migrauit. Filius Georgius Ernestus, patris pietatem & virtutem imitatus, cùm ex duabus coniugibus, Elisabetha, Erici senioris Brunsuicensis filia, & Elisabetha, Ludoici ducis VVirtebergensis sorore, sobolem nullam suscepisset: hoc anno ætatis 73. rebus humanis exemptus, totam illustrium principum Henneberg. familiam simul finiuit. cuius ditiones, Domini feudorum, Saxoniæ duces, & Hassi, ratione veterum pactorum inter familias Saxonicam, Hassicam & Hennebergiacam initorum, occupauere.

Vt autem memoria optimorum principum, non simul cum vitæ & familiæ interitu, extinguatur & exoleſcat: seriem principum supra 1505. inchoatam, vsque ad Georg: Ernestum pertexam.

BER Toldus, princeps Henneb: primus, ab Henrico VII. creatus 1310. propter virtutem, sapientiam, & fidem Alberto I. Henrico VII. & Ludoico IIII. Imppp. carus, Coburgam tenuit. fundauit Collegium Smalkaldense. ⊙ 1340. die 16 April.

Henri-

Henricus I. Coburgi habitauit. ⊖ 1347.

Catharina, nupta Friderico duci Saxoniæ, cuius coniugij occasione, Coburgensis ditio, ad duces Saxoniæ peruenit.

IOHANnes Sleusingæ ⊖ 1359 die 2. Maij.

Henricus. ⊖ 1405.

VVilelmus I. in Cypro ⊖ 1424.

VVilelmus II. ⊖ 1444, 8. Ian.

VVilelmus III. duxit Margaretam Henrici Brunsf. filiam. cum Ernesto duce Saxoniæ Romam profectus ⊖ 1480.

VVilelmus IIII. nascitur 1478. educatus apud Philippum Palatinum. vxor Anastasia, filia Alberti March. Brand. quæ ⊖ 1534. ipse A. C. 1559. anno ætatis 81. placidè tandem decessit. cùm tredecim liberos procreasset & in his 7. filios, Ioannem abbatem Fuldensem, VVolfgangum in bello Gallico 1537. cæsum, Christophorum, VVilelmum, Casparum infantes extinctos, Georgium Ernestum natum 1511. die 27. Maij, & Popponem natum 1513. die 20. Septemb. qui ambo cùm ætatis annum 70. superassent, nullis post se relictis liberis, familiam Henneber-

genſem vniuerſam (cum ipſis extinctam) concluſerunt.

LVBEcenſes, ſuo & fœderatarum ciuitatum maritimarum nomine, in Comitijs anni ſuperioris, apud Imp. de rege Daniæ, Vectigalia in Helleſponto ſuo & alibi, ſupra modum augente, & nouis ſubinde acceſſionibus cumulante, queſti erant. Rex vt eorum offenſionem & accuſationes ſe non magnifacere, nec Imperatorem iudicem agnoſcere oſtenderet; Vectigal nouum, quo, de ſingulis centum ſalis laſtis, vt nominant, centum Ioachimicos pendere mercatores cogebantur, duplicatum à Lubecenſibus exegit. Cùm autem hac æſtate, Vlricus dux Megapolitanus, regis Daniæ ſocer, cum coniuge Eliſabetha, regis amita & ſocru; Hadersleuiæ regem inuiſerent, & de ciuitatis ſuæ Roſtochienſis inobedientia & contumacia regem docentes, conſilium ac opem illius flagitarent: Rex, qui illis ipſis diebus filium recèns natum, Iohannem, tinctione ſacra eccleſiæ inſeri curabat, receptos in gratiam Lubecenſes, rurſum æquo cum ciuitatibus cæteris onere vectigal ſoluere permittit. Deinde ROSTOCHIENSIS ciuitatis Naues & merces omnes, in Helleſponto, & alijs Daniæ portubus, areſto retinet.

tinet. & exeunte Augusto literis ad Senatum datis, ostendit, se omni commerciorum iure, in suis regnis eos tantisper prohibiturum esse, donec ab Vlrico principe Megapol. socero suo, documentum adferant, quo sibi ab illis, de omnibus controuersis capitibus, & contumacia hactenus vsurpata, legittimè satisfactum esse testetur. Mense Octobri, celoces etiam aliquot, ad ostium VVarni mittit: quæ exeuntes & aliunde redeuntes Rostochiensium naues intercipiant.

Semina verò nouæ huius Tragœdiæ Rostochiensis, ex reliquijs controuersiarum, ante decennium, ex transactione illa solenni ad compromissum sepositarum extiterunt, quarum anno 1573. capita recensui. Quæ cùm ad principum iura in vrbe recuperanda vel obtinenda pleraq; pertinerent: Rostochienses aduocati, quantum poterant, cognitionem & processum causæ differebant. Mortuo enim inter initia tractationis altero principe, Ioanne Alberto, Vlrici fratre 1576. compromissum vnà expirasse contendebant. Ideoque ad ordinarium Iuris processum in Camera controuersias deduci oportere. Hæc cùm diutius biennio disputata fuissent, terni ab vtraque parte Iureconsulti disceptatum, an valeret adhuc

vel expiraſſet compromiſſum? Guſtrouij conſederunt. & poſt aliquot dierum diſputationem, tres Roſtochienſes, illud expiraſſe; tres Megapol. adhuc valere & vigere, ſinguli, prout ſuis Dominis placere & commodum eſſe ſciebant, pronunciarunt. Tandem magno labore & ſumptu, per legatos electorum Sax. & Brand. principe Vlrico ſæpè ludibrio ſe à Roſtochienſibus haberi, apud ſuos querente, compromiſſum renouatum eſt.

In quo, cùm ad examen teſtium progreſſum eſſet: tanta Articulorum & Interrogatoriorum moles vtrinque ab aduocatis coaceruata, & tanta teſtium non neceſſaria multitudo producta eſt, vt totum ferè quadriennium in ijs audiendis conſumeretur, nec exitus aut finis vllus apparêret. Interea nouæ offenſiones ſubinde incidebant, cùm à pleriſque mandatis principis, ſibi diſplicentibus, Roſtochienſes, ad Cameræ iudicium ſtatim appellarent.

Tandem igitur, vt finem his controuerſijs, quarum definitio alioqui ad ſeros nepotes prorogata fuiſſet, princeps Vlricus imponeret, & petulantiam ac contumaciam, vt nominabat, Roſtochienſium frenaret, à Daniæ rege genero ſuo conſilium petiuit

tiuit, qui tranquillo eum animo esse, & omnino quiescere iussit: Se intra paucos menses ad obedientiam & reuerentiam debitam Rostochienses ei reducturum esse. Detentis itaque in Dania Rostochiensium nauibus & bonis; Senatus à principe Vlrico literas ad Regem intercessorias petit, & amica transactione controuersias componi per delectos ex consiliarijs prouincialibus, orat. Sed post tres menses demum, Tractatio Gustrouij inchoata est. vbi præter nouem illa, quæ ante decennium ad compromissum sepositа fuisse dixi, controuersiarum capita: vndecim noui articuli, in quibus priorem illam transactionem violasse Rostochienses dicebantur, quidam non admodum magni momenti, accumulabantur. De his, cùm vltrò citroque scripta aliquot commutata fuissent: & postea oretenus de singulis articulis ordine cum arbitris collatæ sententiæ: tandem exeunte Februario, ex voluntate principis, de omnibus transactum, & 100000 Ioachimicorũ principi soluendorum mulcta insuper ciuitati imposita est.

Suprema inspectio Doctrinæ & Religionis in vrbe, Ducibus Megapolitanis & eorum successoribus permissa. cognitio causæ aduersus ministros & ciues falsa doctrina

pollutos, si priuatis admonitionibus non se emendari à ministerio & senatu patiatur; principum iudicio concessa: executio senatui relicta est. Superintendentem in vrbe senatus vocabit. Vicinam verò diœcesin, princeps alteri alicui ex suis Theologis in vrbe commendabit. In causis matrimonialibus & beneficiorum ecclesiasticorum inter ciues existentibus, in prima instantia senatus iudicabit. Inde ad consistorium principum & aulicum, grauato appellare licebit. Visitatio Ecclesiarum in vrbe per duos Consistorij eceleſiastici principum assessores, & duos à senatu electos, iuxta instructionem certam, de qua anno 1578. conuenit, peragetur. Senatus, collegij calendarum bona, œconomiæ cedet: & in extorquendis reditibus beneficiorum in vrbe, œconomum iuuabit. Oeconomus singulis annis post Pascha, quatuor visitatoribus, coram patronis beneficiorum, accepti & expensi rationes reddet. Mortuo præsenti œconomo, Senatus tres ciues idoneos principi intra mensem nominabit, ex quibus vnum princeps eliget, qui coram visitatoribus iuramentum præstabit. Hospitalibus ad S. Spiritum & S. Georgium, Senatus & centumuiri duos ciues præficient,

qui

qui omnia Xenodochiorum bona, reditus, rusticos, iudicia, sine mercede administrabunt, & quotannis consulibus & delectis ex centumuiris, rationes reddent. Cœnobium ad S. Crucem in virginum scholam conuertetur. Præpositi electio penes senatum; confirmatio penes principem erit. Visitatio cœnobij, & rationum inspectio, penes quatuor illos ex consistorio principum & senatu Deputatos manebit. Accusatum de prædijs rusticis monasterium, coram principe; de vrbanis, coram senatu vrbis respondebit, Alioquin iurisdictionem criminalem & ciuilem in area monasterij, & illius prædijs præpositus retinebit, ita tamen, vt in ciuilibus ad principem appellare liceat. Cœnobium D. Ioannis, concionibus verbi Diuini, scholæ, communi pauperum mensæ, conuentibus Ministerij, Consistorij, & visitationis, destinatum erit. Monasterij Dobberanensis curiam senatus principi restituet, vt eo modo, princeps & capitanei Dobberanenses, quo ante occupationem à senatu factam, soliti sunt, ea vtantur fruantur. Pro iure collectandi, seu Accisis in vrbe instituendis, quod tanquam Regale à se deinceps peti princeps obtinuit, in annos 30. concesso, annuos quingentos

florenos principi ciuitas pendet, initio ad Pascha anni 85. facto. Quod si post 30. annos augeri accisas volent, 600. florenos recognitionis nomine principi soluent. Appellatio à sententijs Senatus Rostochiensis ad principem Megapol. vel ad Lubecenses libera deinceps erit, exceptis criminalibus, debitis liquidis, causis minoribus 70 florenis, ædificijs, aquæductibus, etc. Grauato sententia principis, ad Cameram Imperialem licebit prouocare. Saluum conductum aduersus vim iniustam, ciues cum Senatu, aut tota ciuitate litigantes, qui iustam causæ cognitionem, coram competente Iudice non defugiunt, aduersus senatum à principe petere non prohibentur. exceptis ijs, qui propter maleficia ex vrbibus proscripti sunt. Lites de pagis & prædijs priuatorum ciuium, in prima instantia ad senatum, inde ad principes, & cameram deferri debent. Executio autem latæ sententiæ per præfectos diœceseon, in quibus prædia sita sunt, peragetur. De priuilegio captos prædones ex iurisdictione principum in vrbem abducendi senatus cedit: eosque deinceps in præfecturis principum, vbi comprehendentur, custodiri & puniri sinet. Iuramentum ciuium, eadem forma verbo-

verborum, quæ in Receſſu Guſtr. anni 73. expreſſa eſt, deinceps præſtabitur. Cuilibet ciui aduerſus Senatum apud principes ſupplicare & queri liberum erit. Mandata principis ad ſenatum miſſa, ſenatus in vrbe publicabit. Politicas conſtitutiones in cauſis hæreditatum, pupillorum, & tutorum, principis conſtitutionibus ſenatus conformabit. Conuiuia opificum, die Ampt Köſten / penitus abolebit. Ius ciuitatis, & Politiæ ac iudiciorum ordinem, ſenatus intra biennium typis exprimi curabit. Principibus extra ditionem proficiſcentibus currum militarem ſenatus, ſine recuſatione mittet. Prædia ciuitatis publica, ſecundum receſſus Guſtrouienſis anni 73. præſcriptum adminiſtrabuntur. In Vijs publicis, extra Roſtochienſem agrum, & pagos vrbi ſubiectos, commiſſa delicta, per principem iudicabuntur, & metæ iuriſdictionis ſenatus & principum circa vrbem, præſentibus vtriuſque partis delectis, lapidibus erectis deſignabuntur. Ruſticos principum & nobilium fugitiuos Dominis ſuis extra portam ciuitatis ſenatus reſtituet. Hæc ſaluis vtrinque cæteris ſuis iuribus, conſuetudinibus, etc. fatentur ſe ſcientibus & volentibus, in hunc modum tranſacta eſſe, & à ſe

seruatum iri sanctè promittunt. Pridie Calendarum Martij, anno 84. Paulò ante

BONNA archiepiscopi Colonienſis oppidum, Gebhardi Truchesij præsidio, cui frater Carolus præerat, munitum, Ernesto Bauaro recèns per collegium electo, nefariè à militibus præsidiarijs proditum, & die 18. Ianuarij deditum est. Cùm enim multorum mensium stipendia milites flagitarent, quæ exolui à Carolo non poterant: tradendæ Ernesto vrbis, si stipendia numeraret, consilium ceperunt. Cui cùm Carolus Truchsesius & duo alij inferiores capitanei, Christophorus Bruin, & Baltasar Kochner aduersarentur: à militibus suis capti, & Ernesto quinquies mille coronatos paratæ pecuniæ militibus pendenti & impunitatem promittenti, exhibiti sunt. Dedita vrbe, de consule vno & altero supplicium sumptum, & concionator Iohannes Northusius, colligatis pedibus manibusque in Rhenum proiectus est, ex quo miranda Dei ope ad ripam enatans incolumis euasit. Ea vrbe potitus Ernestus, in VVestphaliam cum exercitu traijcit, vbi Arnsbergam & cæteras diœcesis arces & oppida Gebhardus adhuc tenebat. Qui copiolas suas in Vestam Relinghusen, ad Lippiam fl. obuiam Ernesto mittens

mittens, cùm in velitatione quadam Eitel Henrich, Henrici ducis Brunſ. filius nothus fortiter dimicans captus, & pars exercitus ipſi adiuncti diſſipata eſſet: Gebhardus deſperata VVeſtphaliæ defenſione, in Hollandiam ad Vraniæ principem confugit. qui Hagæ aliquantiſper domicilium exuli cum vxore attribuit. Erneſtus exiguo labore, & periculo penè nullo, VVeſtphaliæ oppida & arces omnes ad diœceſin Coloenſem pertinentes, nemine aduerſante occupat.

Menſe Iunio, Ordines Prouinciæ Geſecenam conuocat, vbi de nobilibus multis, qui Gebhardo adhæſerant, & literis ac decretis illius contra Erneſtum publicè editis ſubſcripſerant, queſtus: belli ſumptus in recuperationem prouinciæ impenſos reſtitui, & præſidia deinceps ordinari flagitauit, & iuſticiæ ac pacis publicæ reſtaurationem promiſit. Nobilitas & ciues ſe vnicum & ſolum Erneſtum archiepiſcopum & principem ſuum, vnanimiter agnoſcere, & facultates vitamque pro eius ſalute profundere, omnes paratos eſſe profitentur, & quæ belli tempore, à Truxeſio vi metuque coacti nec rectè edocti quidam contra egiſſent, ſolenniter retractant, & ſuppliciter ſibi ignoſci

sci orant. Ad sumptus recuperationis VVestphaliæ ab Ernesto factos 33000. Ioachimicorum mutuo sumpta contribuent, & præsidia Brilæ, Gesecæ & Attendori suis impensis alent. Arnsbergam verò & VVerlam Ernestus ipse præsidijs muniet. Equites & pedites, tribuni Ditericus à Bocholt & Christophorus à Plettenberg conducent, vt cùm vsus postulat, in promptu sint. IVSTItiæ administrationem & Politiam vniuersam, archiepiscopi & collegij Colonienſis deputati, adiunctis aliquot prouincialibus, prima occasione ordinari optant. & Vnionem regionum archidiæcesis Colonienſis cum collegio & inter se renouatam & typis expressam publicari.

Huic Comitiorum recessui, omnes consiliarij, Nobiles, Ciuitates & oppida Prouinciæ singula, nominatim subscripserunt. Oppidorum diæcesis VVestphalicæ, archiepiscopo subiectæ, nomina sunt, Brile, Gesecа, Ruden, VVerla, Attendorn, Oepe, Drolshagen, Mersperg, Volkmarsen, Medebach, VVintersberg, Hallenberg, Smalenberg, Friedburg, VVarstein, Kallenhard, Belike, Menden, & Comitatus A R N Sbergenſis oppida, Arnsberg, Balue, Nehem, Hertzberg, Greuenstein, Aldendorff, Euersberg. Bel-

Belgici interea confusiones, VVilelmi principis Vraniæ & Philippi Adelgundis, quem Antuerpiæ consulem fecerat (qui Franciscum Andegauensem Galliæ regis fratrem denuo reuocandum esse censebant) consilijs, adhuc sustinebantur. Cumq; indies à Brabantis hic liberator denuo expectaretur in grauissimum morbum incidit, aliquot diebus sanguine vbertim ex naribus, ore & oculis effluente. ex quo, cùm exeunte Maio ita conualuisset, vt & pila palmaria luderet, & summa quadam hilaritate sese musica & varijs instrumentorum generibus oblectaret: proximo die pharmacum sumsit, vt firmius reualesceret. Cæterum hoc ei prorsus lethale atque mortiferum fuit. siquidem insequenti die vltima Maij circa meridiem extinctus est. Pridie aliquot horis post sumptum pharmacum, cùm sibi extremum diem instare non leuibus signis atque argumentis animaduerteret, supremam voluntatem testamento declarauit, atque ostendit se nulla re alia magis dolere, quàm quod prauissimorum hominum iniqua & nefaria consilia secutus, res Belgicas minus decorè ac sicuti debebat & promiserat, administrasset, quodque sibi præreptam occasionem videret, qua præteritos errores, sicuti

omni-

omnino se facturum decreuisset, emendaret atque corrigeret. Postremò & scriptis, & per suos intimos consiliarios, regem orare atque obtestari, vt eandem causam defendendam susciperet, omnibusque studijs & rationibus tueretur. Mortuus est, vt aiunt, admodum piè & Christianè exactam vitam prorsus detestans, & totam spem atque fiduciam in solum Deum per Christum mediatorem collocans & reponens. Pontificias ceremonias, nempe sacri, vt appellant, olei vnctionem penitus reiecit ac repudiauit. quinetiam suum confessorem ad se intromitti omnino vetuit, cùm diceret se veniam suorum peccatorum à solo Deo per eundem mediatorem expectare ac certò certius polliceri. Hic fuit vitæ exitus. Post mortem inspecta fuisse eius viscera scribunt, quæ certissima hausti veneni signa præbuerint. Obijt autem in castro, cui nomen est Chasteau Thieri, arx Theodorici, itinere vnius diei cum dimidio Parisijs distanti. Belgici ordines morte ipsius cognita, magnificam ac splendidam legationem ad regem Galliarum misêre, quorum præcipui Dominus de Mouilleria ac D. Ioannes Asselierus fuerunt, cum quibus etiam orator ducis Andegauensis iam defuncti profectus est, sperantes

tes ipsum regem, fœderatarum regionum tutelam & protectionem susceperturum esse. Sed hæc quoque spes miseros frustrata est, & vix mense vertente

VVILELmus Vraniæ princeps, cuius prudentia, autoritate, industria & fide, vnitæ Brabantis prouinciæ in Belgico potissimùm nitebantur; Delphis in hospitio suo, monasterio D. Agathæ, globo sclopetri, per sicarium, conscio Parmensi summissum, traiectus, die 30. Iunij, seu 10. Iulij Gregoriani, fato suo non infelici, mediocriter, si non florentibus, vtcunque tamen consistentibus adhuc suis partibus, maturè tristioribus ærumnis præreptus est. Sicarium percussorem principis, Burgundum fuisse constat, natum sex ad Vesontionem milliaribus in oppidulo Villefano, Baldasarum Gerardum, qui ante aliquot menses, in principis famulitium se, singularem industriam & ingenij dexteritatem præ se ferens, insinuarat; & à principe, legatis ad Franciscum Andeg. Galliæ regis fratrem, quem Belgici Gubernatorem ac hæredem denuò Belgici status expetebant, comes adiunctus erat. Mortuo autem præsentibus Vranij legatis Andegauense, Baldasarum hunc principi notum, & aliquot menses in eius aula versatum, legati ad

Vra-

Vranium cum literis remittunt, quibus obitum Andegaui, Vranio significant, & an rex Galliæ vel alius, ad protectionem Belgici requirendus sit, sciscitantur. Hic proditor, cùm humaniter à principe acceptus & auditus perbenignè fuisset: tandem vltima Iunij die, absoluto prandio, circa primam pomeridianam, accubitu surgentem principem insecutus, & denuo se cum eo loqui & secreta referre velle simulans, tormento manuario, medium traiecit, ita vt statim moriens concideret. Percussor viuus comprehensus, & non à Gallo, vel Hispanis se conductum, sed proprio consilio egregium ac præclarum κατόρθωμα, & cultum Deo gratum se præstitisse profitens, summo cruciatu ac supplicio proditori debito necatus est, quam velut martyrem, Colonien-sis quidam scriptor celebrat.

Intellexi autem ex duobus Principis Vranij domesticis, Baldasarum, in quæstionibus confessum esse, se consilium suum Principi Parmensi scripto indicasse, ac iussu illius, consiliarium Assonleuillam cum eo egisse, eumque in proposito confirmasse, & de mercede non tantum in tabulis proscriptionis expressa, verùm etiam multò ampliore ei cauisse.

Princi-

Principi interfecto, EPITAPHI-
VM, amici, inserto elogio, posuerunt.

ILLustriss. MEM.

VVILELMI, principis Auraici: comitis Nassouiæ, Cattorum, Dietzij, Viandæ: Marchionis Veræ & Vlissingæ: Burggrauij Antuerpiæ: Vicecomitis Bisontij: Baronis Bredæ, Diestij, Grimbergæ, Arlei, Nozoreti: Domini Castrobellini etc. propræsidis generalis per vniuersum Belgium: præsidis Brabantiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Vltraiecti, Frisiorum, etc. Admiralij.

Herois fortissimi, ecclesiæ propugnatoris, literatorum Mecenatis; patris patriæ: Belgarum assertoris: pro quibus, nec sibi nec suis pepercit: Delphis sclopi ictu transuerberati: Quod habent extremum, in Dominum suum clementissimum, honoris monumentum, cum luctu PP.

Vixit annos LI. menses II. Dies XXV. Obijt, A. C. CID. ID. XXCIV. VI. Id. Iul.

HYperas (8. Aprilis) & BRVGAS, quæ post Gandauum, præcipua Flandriæ ciuitas est; paulò ante principis Vraniæ mortem, mense Maio, Parmensis recuperat,

K Sancita

Sancita omnium præteritorum delictorum ἀμνησία, modò Catholicam Religionem Romanam restituerent, & obedientiam Regi legitimam deinceps præstarent.

GANdauenses etiam, omnibus circumquaque oppidis ab Hispano captis, & commeatuum importatione diu iam impedita, fame coacti, ad deditionis aut reconciliationis cum rege tentandæ consilia descendebant, ac easdem cum Brugensibus conditiones, quæ in Fœdere Gandauensi anno 1576. expressæ erant, ipsis quoque Parmensis tulerat. quas pontificiæ religioni addicti senatores ac ciues, omninò amplectendas esse censebant. Consul etiam Imbysa, qui primus Pacificationis Gandauensis frangendæ, & ejiciendi pontificios autor fuerat: rebus conuersis, ac extrema vrgente necessitate, pacem suadet & molitur. Sed paulò altius ordiemur. Non toto biennio post Fœdus inter prouincias Belgiæ Gandaui initum de catholica & Romana religione ijs in locis vbi tùm vigebat conseruanda: Gandauenses omnium primi, violato fœdere, totum religionis pontificiæ exercitium in vrbe abolent (1578) & monachis ac canonicis magna ex parte eiectis, Bona ecclesiarum confiscata ad vsus Reipublicæ transtulerant:

&

& libro edito, quem Petrus Dathenus & Hugueria quidam Gallus, Imbysæ consilio apparauerant, omnes etiam alios, Belgas, ad imitationem fuerant cohortati. Cum enim fœdus ab Austriaco primùm ruptum esset: sibi etiam vitio dari non posse censebant, si pro temporis ratione quædam mutarent, præsertim cùm saluis pontificijs clam cum Hispanis sentientibus, non tuta & incolumis seruari libertas recuperata possit. Cumque politicam libertatem pristinam, à Carolo V. imminutam, Dei & ordinum beneficio recepissent: integram quoque libertatem ecclesiasticam restituendam, & opes ecclesiarum, quæ ab ignauis absumerentur, ad vsus Reipublicæ communes transferendas esse. Hæc cùm liberius & petulantius Ioannes Imbysa, eo tempore consul (vir opulentus & magno ac vafro ingenio præditus) ageret, & Casimirum Palatinum in Flandriam cum exercitu vocaret, & postea inducto clàm cæteris in vrbem alio militum præsidio, Magistratum sibi ac suis contra Reipublicæ illius leges continuaret: & restituta per archiducem Matthiam & principem Vranium electione pristina, depositus esset: in Hollandiam primùm Amsterdamum; inde Francendalum, sub duce Casimi-

simiro, cum suo Datheno secessit. Vnde quarto exilij anno, ab ijs, qui Franciscum Andegauensem Gallum, quem princeps Vraniæ in Belgicum reuocabat, auersabantur: superiore anno (1583) cùm Casimirus cum exercitu in diæcesi Colonienſi versaretur, Gandauum reuocatus erat.

Rediens ille, ad portum maris Gandauensem, Sassum, mense Octobri, propemodum inspectantibus hostibus qui in propinquo erant, appulit, & noctu vrbem versus nauigans ante auroram ingressus, ingenti cum suorum lætitia receptus est. Sub auroram Hispani hostes prædictum portum inuaserunt, & confestim Axella, Hulsto, quatuor officijs, VVasia, Ruppelmonda, & circum vicinis locis Antuerpiam vsque deditione potiti sunt, autore Seruatio Steeland, VVasiæ prætore.

Imbysa, Gandauenses bono animo esse iubet, eosque magna spe implet, propediem à Palatino Casimiro, & alijs Germanis principibus, ingentes copias auxiliares tàm equitum quàm peditum aduenturas, quæ hostes ab obsidione vrbis depulsuræ sint: se enim ea de causa Casimirum, Trucheſium & alios in exercitu propè Coloniam Agrippinam conuenisse, ac vt plenius hæc coram magi-

magistratu dicta, toti populo innotescerent, patriæque strenuus defensor & liberator haberetur, scriptum edidit, quo nec cum Hispaniarum rege, vtpote tyranno, neque cum Alenzonio Gallo perfido, pacem & reconciliationem ineundam, verùm more & exemplo Heluetiorum, liberam Rempublicam constituendam disputat. Ad hanc rem satis virium subesse, quæ etiam roborarentur fœdere, ope atque auxilio Germanorum Principum protestantium. Quos verò suspicabatur, vel Hispano vel Gallo fauere, vtrosque æquè summo odio prosequebatur. ac subodorans, illorum factionem prævalere, qui ciuitatem regi Hispaniarum reconciliandam suadebant, præcipuos capi iussit, in queis fuit Rimius Iurisconsultus, secretioris consilij regis consiliarius, Borlucius Boucleus & alij nonnulli.

Verùm paulò post, cùm Parmensis omnem commeatuum importationem Gandauensibus, adempto trium fluminum vrbem interluentium vsu intercluderet, & inter Tenermondam & Gandauum, ponte ac munitionibus ad VVettern erectis, nauigationem impediret: Imbysa, quanto in periculo vrbs versaretur considerans, cùm quidem de Casimiri palatini & aliorum princi-

pum auxilijs spes conceptæ prorsus euanescerent: mutata priore sententia, Vrbem, Hispaniarum regi, missis ad Parmensem legatis, reconciliare instituit. Itaque in Senatu, & publico ciuium cætu, Hispaniæ regi potius quàm Andegauensi Gallo vrbis tutelam committendam esse multis rationibus, & scripto typis impresso asseuerat. Parmensis de pace sollicitatus, Manubium virum nobilem Aldenardæ præfectum, Seguram Hispanum copiarum Ducem & Namurium tribunum, mense Februario huius anni, in vrbem cum mandatis ablegauit. Imbysa verò, tres ciues, in quèis erat Richouij filius, obsides Aldenardam misit. & religionem sartam tectam futuram, nec quicquam à Parmense in priuilegijs, statutis, vel regimine ciuitatis, immutatum iri, iactabat. cum tamen nulla ei spes vnquam à Parmensi de religionis exercitio conseruando facta fuisset. Videbatur Imbysa rem ad exitum facilè deducere posse, quod tùm nullus Gandaui ferè esset, qui contra ipsum hiscere auderet. Etenim statim ac è Francendalio redijt, consulari potestate potitus, vix vllos collegas suos in magistratu ad secretiora consilia, quæ domi suæ tractabat, amplius admittebat. Sed alios sibi nouos adsci-

adsciuerat. Nunc verò plerosque pontificiæ religioni addictos, remotis ex magistratu bellico reformatis, substituit. cuius tàm subitæ atque inopinatæ mutationis causa fuisse præcipua existimatur, quod Vranio diffideret, sibique ab eo cauendum putaret. Induciæ igitur inter Parmensem & Gandauenses 20 dierum sancitæ, in quibus de pace ageretur. & socijs Antuerpiensibus, Hollandis & Selandis fœdus antea initum renunciaretur, nisi auxilijs missis vrbem ex obsidionis periculis, depulso Parmensi, liberarent. vel communi cum Gandauensibus consilio regi reconciliarentur. Antuerpienses verò & cæteri, publico scripto, omnem cum rege, vt tyranno, de pace tractationem dissuadebant.

Gandaui verò Magistratus, Decani, tribuni & ciues, animaduertentes Imbysam quotidiè cum obsidibus Parmensis domi suæ epulari, multa de pace iactare, de nullis tamen pacis conditionibus agi, verentes proditoriam deditionem, consilia ineunt cum Carolo principe Chimaio, tùm Flandriæ præfecto à parte ordinum, item cum Brugensibus & Franconatibus, duobus reliquis Flandriæ membris, de pacificationis tractatione cum Parmense coniunctim ineunda, in qua

plus autoritatis ac emolumenti fore, & conditiones tolerabiliores conceſſum, firmiuſque ſeruatum iri ſperabant, quàm ſi quodq; membrum ſingulatim tranſigeret. Id conſilium Chimaius & cæteri approbantes, commiſſarios Gandauum mittunt, vt cum Gandauenſibus ad Parmenſem proficiſcerentur. Imbyſa nolens hanc gloriam factæ pacis cum quoquam altero communicari: ſeorſim quædam per Iorckum Anglum & Cetonium Scotum capitaneos cum Parmenſe tractat, promittitque auxilium nauium cum bellico apparatu, quatuor item cohortes militum præſidiariorum, & totidem ciuium Gandauenſium, ad expugnandam Dendermondam, vrbem cum Gandauenſibus fœdere iunctam. Quod dum exequi tentat, & naues intempeſta nocte ex vrbe deducere; Magiſtratus, Decani, tribuni & ciues, intellecto vrbis & ciuium periculo, ſummoperè attoniti, hominis temeritati & perfidiæ obuiam eunt. ac in ſenatu & frequenti ciuium conuentu, cum eo expoſtulantes proditionis crimen obijciunt. Ille contra ſe cum Parmenſe conueniſſe, vt vrbem Dendramundam caperet, ea conditione, vt captam Gandauenſibus traderet, & deinde cum eis de pace tranſigeret, affirmauit

mauit. Qua excusatione reiecta, Imbyses loco mouetur, mense Martio, custodiæq; mandatur, & fisco, vt contra eum in iudicio procedat, iniungitur.

Aprilis 13. dissensio satis periculosa in vrbis bellico, vt vocant, consilio orta est. Instante enim pacificationis cum Parmense negocio, ingens erat animorum varietas & diffidentia. Quibusdam omninò cum Parmense transigendum sentientibus, vt maioribus miserijs &patriæ occurreretur calamitatibus:eoq; nomine nonnihil suspectis quasi hosti essent addictiores. Alijsverò se difficiliores præbentib⁹, &non aliter esse transigendum, vt pote nulla adhuc vrgente necessitate, nisi honestis duntaxat conditionibus & valdè tolerabilibus, inter quas præcipuè Religionis libertatē recensebant, existimantib⁹. Animis sic diffidentia & sinistris suspicionibus distractis: priores clanculum cum consule Vtenhouio, deliberant, vt pacis negocium facilius conficeretur, aliquos aduersariorum ex urbe esse deijciendos, quorum nomina in schedulam annotarant. At cùm eius executionem consul procrastinandam censeret, consilium detectum fuit. Et quamuis consul schedam ruptam in ignem pro-

iecerat, atque ita negocium sopijsse atque composuisse videbatur : Tamen qui nomina sua inscripta fuisse intellexerant, sibi atrocem iniuriam illatam existimantes, eam ad animum reuocant. Et postridie in conuentu consilij bellici, de ea acerrimè expostulant, & in aduersarios inuehuntur. Consul cùm aliquibus è magistratu, & Tayardo syndico eò accesserat, & vtrosq; ad mutuam reconciliationem & concordiam hortabatur. Sed cùm plurimi eò aduenirent, ac importunius de iniuria ipsis illata conquererentur, eiusq; reparationem insolentius exigerent, quidam seditiosus tribunus Bontius ad cædem incensus, Locumtenentem Boclei pugione vulnerat. Vnde tanta subitò exoritur seditio & tumultus, vt cunctis præsentibus arma in se mutuo conuertentibus, omnia ad cædem & sanguinem spectare viderentur. At consule, Syndico & alijs intercedentibus sicarius è conuentu eiectus, & seditio tandem repressa fuit. Reliquum postridie autoritate trium membrorum ciuitatis vtcunque fuit consopitum.

Cùm verò Hembyses nullas hactenus conditiones pacis Parmensi proposuisset, nec ab eo accepisset, Gandauenses ipso capto, deputatos suos vna cum Chimaicis Brugen-

Brugensibus & Franconatibus, ad Parmensem miserant, A quo amicè admodum excepti. Articulos ei, 15. Aprilis, exhibent suorum postulata continentes, videlicet, vt præter conscientiæ libertatem, quæ ipsis à Parmense offerebatur, reformatæ religionis exercitium saltem in vno templo concederetur. Tum etiam quod Parmensis conscientiæ libertatem illis pollicebatur, modo sine scandalo ea vterentur, illi disertius sibi explicari flagitabant. Quo verò sacra sua & eorundem ministros quæque inde dependent rectè commodeque tueri possent, ex bonis ecclesiasticis, quæ occuparant, alimenta ministrorum ecclesiæ & scholarum, quas erexerant, sibi decerni postulabant. Quod si præsidium recipiendum esset: se Belgas non exteros admissuros, proindè vt exteri è Flandria pellerentur, petebant etc. Parmensis negat se eos articulos Regis nomine concedere posse, præsertim qui libertatem religionis exercendæ concernebant. Alios ferè admisit, promisitque plures se concessurum, modò ad transigendum mandatis sufficientibus instructi sint. Cùm autem negarent illi, se alijs conditionibus, quàm quas proposuerant, conficere negocium posse: tamen

tamen articulos à Parmense oblatos ad suos senatum populumq; relaturos, constitutoq; die ad ipsum reuersuros pollicentur. Itaq; post aliquot dierum collationes ac disputationes placidè dimissi fuerunt. Concessis autem ad eam pacem tractandam vtrinque inducijs, Gandauenses interim necessitatibus publicis prouidebant & annonæ quantum poterant in vrbem importabant.

Aurantius, Brugenses, Parmensis articulis acquieturos, metuens, præsidia eis mittebat & recipere ordinum nomine iubebat, quæ admittere nolebant. Pontificij .n. Chimaio instigante, Aurantianæ factioni se opposuêre, & post longam disceptationem tandem vicêre, Tornacumque ad Parmensem secundò missis legatis, cum rege reconciliati sunt, vt sequetur.

Gandaui super Parmensis articulis maior difficultas mouebatur. Verùm cùm legati illis referrent, spem factam plura obtinendi, modò amplum satis mandatum adferrent negocium concludendi: Tandem 2. Maij, collatio siue magnus conuentus trium membrorum ciuitatis, Magistratui potestatem vlterius in cæpto negocio progrediendi concedit, remque tolerabilibus & honestis conditionibus transigendi, Inprimis vr-

gentes

gentes, vt libertatem religionis maximè commendatam habeat.

Prædicti legati rursum ad Parmensem ablegati, 8. Maij suorum mandata coniunctim cum Chimaicis, Brugensibus & Franconatibus exponunt. Post aliquot colloquia & disceptationes, Parmensis suos articulos multum extendit ampliauitque, & vrsit vt legati eos reciperent. Tum Chimaici, Brugenses & Franconates, Gandauensibus indicarunt, sibi suisque Parmensem his satisfacere, & expresse à suis esse iunctum, ne re infecta domum redeant. Gandauenses ne socij seperatim transigerent, instant rogantque tantisper differant, donec illi suorum sententiam certius exquirere possint super reliquis denegatis articulis, præsertim de libertate religionis, quam sui maximè expetebant. hoc referendi deliberandique cum suis spacio à Parmense obtento, 12. Maij aliqui Gandauum reuersi. Vnus redeuntium Hermannus ante fores domus suæ interrogatus, quid de pacificatione reconciliationeque adferret, qualis & quænam pax futura esset, dixisse fertur: Horrenda sanè & fraudis ac periculi plenissima.

Magistratus Gandauensis suorum legatorum

torum relatione audita 14. Maij sub vesperam, postridie 15. Maij consilium conuocat. In quo plurimi ciues moræ impatientes, &, vt suspicio erat, ad hoc à Parmensis obsidibus instigati, gladijs accincti ante ædes senatorias venerunt, alijs per alia vrbis loca collocatis. Cum confertim in senatum irrumpere volentes, senatus quosdam ex suorum numero deligere iuberet, qui illorum postulata senatui exponerent; illi indignati tumultum excitant, gladios stringunt, magnoque strepitu & vociferatione pacem se velle clamant. senatus blandis verbis eos iam sedare conatur, seque de pace ipsis procuranda deliberare asseuerat. Cum autem nihil se proficere videt, maioris domus senatoriæ fores occludi iubet, ostiolo duntaxat aperto, & confestim excubiarum præfecti accersiti, cum paucis aliquot armatis & sclopetarijs adueniunt. Quorum aspectu tumultuantes attoniti, partim dilabuntur, seq; subducunt. Aliqui ex præcipuis in senatum adducti custodiæ mandantur. Deinde iussu senatus, tribuni, seditionis conscios diuersis locis congregatos dissiparunt multosq; captiuos asseruarunt, ex quibus aliquot tribunos magistratus exautorauit, alioſque in eorum locum substituit, multisque conscijs

scijs & suspectis arma adimi iussit, & Ministros concionatores & alios antea captos, quod minus pacis auidi viderentur, è vinculis soluit. Hoc pacto vrbs tum à tumultu & seditione interna & externis hostium insidijs qui eam munitionibus vndique cinxerant, citra cædem & sanguinem liberata fuit.

His peractis, Dendramundanis, Bruxellensibus & Antuerpiensibus, reliquisque socijs, quid egissent, & quo in statu res ipsorum essent, significarunt. Bruxellis igitur Tymplius milites, quorum ope vrbis imperium retinerent, ad eos misit. Imbyses adhuc in vinculis seruabatur. Bucleus & alter ipsius collega Braclius, apud Parmensem remanserunt. Interea dum ij, qui à Parmense Gandauum remissi fuerant, reuerterentur, qui tamen postea ad suos præ metu redire noluerunt.

Senatus Parmensi 16. Maij de legatorum suorum reditu ob casum tàm inopinatum necessariò differendo se excusauit. cumque biduo post aliquot articulorum extensiones illi misisset: respondit Parmensis, illas facilè ipsos impetraturos, modò Legatos remittant, addens se diutius Brugensium & Franconatum reconciliationem differre nolle.

Per

Per aliquot deinde dies, de continuanda & absoluenda pacis tractatione, in vrbe deliberatum fuit. ac vnus legatorum, IACobus Tayardus, I. V. D. primus ciuitatis Syndicus, sæpius ea de re coram magistratu declamabat; salutem populi supremam Legem esse. Rempublicam auxilio omnium fœderatorum destitui. nec vllum oppidum quantumuis munitum & populosum, adeò firmum esse, nisi auxilia submittantur, quin longa obsidione, commeatibus interceptis, & assiduis certaminibus vinci denique possit. Omnia enim vel inexpugnabilia credita, tempus & virtutem obsidentium & penuriam rerum necessariarum tandem superare. Brugas, Ipras, Cortracum, reliquumque fermè totum Flandriæ comitatum iam à Parmense subiugatum. E bello nullam amplius salutem expectandam.

Præstare itaque honestè nunc transigere, quàm paulò post turpiter & cum rerum omnium iactura vinci & trucidari. Vel propediem ab omnibus desertos, ad iniquiores pacis conditiones descendere. Multisq; alijs rationibus in medium adductis, pacis remedium amplectendum suadebat. Senatumq; sui officij pro tuitione populi sedulò admonebat, vrgebatque vt tantum malum, quod

quod vrbi imminebat, prudenter auerteret. Verùm ob tàm intempestiuum tumultum, tantaque cum acerbitate excitatum, nimium exulceratis animis, & infixa nimium diffidentia, nihil exorare potuit. Dolens igitur, vrbisque vicem deplorans, 23. Maij sponte officio suo renunciauit. Ac licet 25. die Maij iterum in senatum vocaretur, & instanter requireretur, vt in officij exercitio perseueraret, se tamen persuaderi passus non est. Interea Carolus Chimaicus Flandriæ præses, Brugenses & Franconates, frustra expectato Gandauensium reditu, conditionibus pacis à Parmense propositis subscripserunt. Gandauenses, cùm præcedentis ante senatorias ædes tumultus præcipuos autores indagarent, & captiuorum aliqui testarentur, se ab Vtenhouio consule eò accersitos fuisse: in eius locum M. Petrum de Bill substituerunt. multi captiui inquisitione facta rigidis admodum quæstionibus subiecti tortiq; fuere.

Taiardus etiam Syndicus domi se continere, neq; cum quoquam de pace colloqui, à militari consilio iussus est. Parmenses, mora Gandauensium irritati, octo milites Aldenardæ captos submerserunt qui secundo fluxu Gandauum delati sunt

Gandauenſes illatam ſuis injuriam vlciſcentes, aliquot hoſtes pari modo necarunt. Et animis iam exacerbatis omnem pacis conditionem & ſtudium abiecerunt. Ac ab Aurantio & ordinibus, item ab Antuerpienſibus, Bruxellenſibus, Mechlinenſibus, Dendramundaniſque per literas ſollicitati & incitati ſpe mutui auxilij, bellum Hiſpaniæ regi, eiuſq; ſocijs, expirantibus ita inducijs, in omnibus vrbis compitis per tubicines & tympana indixerunt. vltima Maij.

Sic recrudeſcente bello, integrum adhuc trimeſtre, Gandauenſes, inter ſummas difficultates, omniumque rerum inopiam, obſidionem tolerarunt. Imbyſam conſulem ſuum, quem ex Palatinatu, ſuperiore anno reuocarant, cùm à menſe Martio vſq; ad 4. Auguſti in cuſtodia fuiſſet, tandem lata ſententia, capitis ſupplicio affecerunt. Simili ſeueritate in Leuinum Geitrium, & Leuinum Viuertium Iureconss. vſi ſunt. Heymannum, cuſtodiæ & armorum vrbis præfectum, quæſtionibus ſubiecerunt, quòd literas ab hoſte miſſas accepiſſe diceretur, quæ tamen dolo exaratæ erant, vt eum ſuis ſuſpectum redderent. Multi etiam pacis cum Hiſpano reconciliandæ cupidos ſe oſtendentes, vrbe eiecti ſunt, qui ad Parmenſem diuertentes, de toto vrbis ſtatu eum quotidie edocebant.

Tan-

Tandem verò, cùm ad extremam rerum omnium desperationem ac inopiam Gandauenses redactos, interruptæ à se pacificationis pœnitere cæpisset: Taiardum Syndicum, libertati restitutum, in senatum reuocant; ac, vt pacis restituendæ rationes cùm Parmense instaurare, & communis patriæ necessitati & saluti consulere vellet, rogarunt vltima Augusti.

Tractatio igitur de pace, 4. Septembris denuò inchoata, & post varias deliberationes & colloquia, hisce conditionibus tandem 17. Septemb. concluſa fuit. Quas solenni more, magistratus, 19. Septemb. præsentibus, Iohanne Richardoto Arrefiæ præside iudiciario, Francisco Leuasseur secretario, & Vereiken audientiario, Alexandri Parmensis commissarijs, publicauit. Primùm autem, omnium præteritarum offensionum, delictorum & criminum ἀμνηστίαν Rex sanciuit, nec in quenquam eo nomine inquiri aut litem vlli moueri, exprobrari, molestiamue vllam voluit exhiberi. Collegia etiam & priuati, de damnis quæ mandato magistratuum vel iudicum sententijs in personis seu bonis suis sustinuerunt, vlcisci se non poterunt, nisi contra priuatos in quorum commodum priuata autoritate versum

sit. Ciues & incolæ, qui ante edictum perpetuum vrbem inhabitarunt, bonis suis omnibus integrè & quietè vti frui deinceps possunt, perinde ac si nunquam offendissent. Omnes exhæredationes, donationes, legationes seu dispositiones inter viuos & causa mortis, odio diuersæ religionis, aut tumultus præsentis factæ, rescinduntur nulliusque erunt momenti. Bona ciuium tempore rebellionis mortuorum ad proximos & legittimos hæredes in linea directa redibunt. Rex nulli ciui, modestè & sine scandalo viuenti, ob Religionem diuersam, bona adimet, sed biennium ad deliberandum incolis concedet, an Pontificiam religionem amplecti velint. Si nolint, liberum eis erit, extra Belgij fines discedere, ac nihilominus bonis suis per procuratorem administratis integré frui. Litium processus, latæq; in Iudicijs vrbis sententiæ vim suam retinebunt, saluo tamen appellationis ad magnum consilium remedio. quo Gandauenses etiam, contra sententias aduersus se alibi latas, vti poterunt. Absentes verò damnati ob contumaciam, vtrinq; restituentur. Vt reditus & debita Reipublicæ soluere possint, contributiones exactionesque generales & particulares continuare permit-

mittitur, ea conditione, ne quid ex illarum collectionibus Regiæ Maiestatis hostibus numeretur.

Ciuitas vicissim Regi, vt Flandriæ comiti, omnem, quam ante hos tumultus exhibebat, obedientiam præstabit. & omnia Regis iura, belli iniuriâ intermissa, plenè ac integrè restituet. Prælatos, collegia, Monasteria, Xenodochia, Nosocomia omnia, in pristinum statum reponent, & reditus ex suis domibus & fundis debitos pendent. Bona mobilia ecclesiasticorum direpta, & immobilium fructus ac reditus, magistratuum iussu intercepti, non repetentur. Et quidquid priuati de suis bonis & reditib⁹ tempore rebellionis receperunt vel adhuc eis debetur, modò à fisco non fuerit occupatum, liberè retinebunt. Ex præcipuis seditionis autoribus, sex solummodo personas, Parmensis sibi dedi voluit, qui persoluto lytro incolumes dimittentur. Gratitudinis ergò, ducenta millia coronatorum, Regi ciuitas persoluet. Cuius partem viritim ciues colligere, nec cuiquam ante persolutum capitis sui censum, ex vrbe discedere licebit. Fridericum Perenottum Champagneum & Crucium, Gandauenses ex custodia liberabunt. ac vicissim suos,

apud Parmensem captiuos, Ægidium Borlucium, & Ioannem Dammæum liberos recipient. His conditionibus in posterum eos pro fidis regis subditis Parmensis habebit, & clementer ac benignè tractabit, & his conditionibus Regem intra tres aut quatuor menses subscripturum promittit.

Aliquot deinde dies, in transactione de stipendijs militum præsidij vrbani, sunt insumpti. quo, die 25. Septembris manè vrbem egresso, & partim Bruxellas, partim Slusas deducto; sub meridiem, Regium præsidium, 25. cohortes peditum & quinq; turmæ equitum in vrbem, ductore Castellano Oliuera Hispano, locumtenente marchionis Robaisij, receptum est.

Die 9. Iunij, ad Scaldim fl. PARmensis accesserat, vt commeatuum à mari importationem in vrbem Antuerpiam impediret, ac post aliquot mensium velitationes nauales, ponte tandem, inter Ordamum & Callo, ripis fluuij iunctis, omnem commeatuum subuectionem intercluſit. vt sequenti anno prolixius exponemus.

Rotenburgi ad Tuberum, ab Imperatoris & principum electorum & ducis VVirtenbergensis legatis, de pace religionis & Reipublicæ in Germanico Imperio conserua-

uanda, & Colonienſium archiepiſcoporum controuerſia, & Calendarij Gregoriani receptione, multis menſibus diſputatum, & neutrius religionis principibus de ſua ſententia cedentibus, tandem re ferè infecta diſceſſum eſt.

CALENdarium GREGOrianum, cuius ſupra memini, Pontifex Romanus, per legatum in aula Cæſaris, vbique in Germania recipi, & vſurpari aſſiduè vrgebat. Etſi autem Cæſar Rodolphus, in regno Boëmiæ, & Auſtriacis ac cæteris ditionibus ſuis hæreditarijs illud inſtituit & ſeruari voluit; tamen Saxonici principes & alij confeſſionem Auguſtanam ſequentes, conſtanter recuſarunt. Epiſcopi verò plerique, ac in his Colonienſis recens electus Erneſtus, & Monaſterienſis, in diœceſibus ſuis illud vſurpare cœperunt. AVGuſtæ Vindelicorum qui confeſſionem ibi Carolo V. Imp. anno 1530. exhibitam, ſequuntur, ſuperiori anno mandatum à iudicio Cameræ aduerſus ſenatum, receptionem Calendarij mandantem, impetrauerant, quo veteris Calendarij vſus, exemplo cæterarum Aug. Conf. adiunctarum eccleſiarum ipſis relinquebatur. Cùm autem ſenatus in Iudicio Cameræ opponeret, ſe nihil contra pacem Religioni

datam moliri, sed politicis tantùm causis moueri, vt cum vicinorum principum & episcoporum, qui illud recepissent, subditis, commercia vsitata exerceri, & in vrbe omnis generis confusiones, in iudicijs, nondinis, macellis, opificum tabernis, ex dissimilitudine Calendarij orientes, vitari queant: Decretum in Camera, quo prius mandatum cassatur & aboletur, ineunte Maio obtinuerunt. Quod cùm Augustæ promulgatum esset: ministri Euangelici, quorum Georgius Mylius Theologiæ Doctor, præses seu superintendens erat, scripto senatui explicant, se in omnibus politicis negotijs decreto parituros esse, sed in templis, ac festorum celebratione, & Euangelicæ religionis suæ exercitijs, se nullam obedientiæ Pontifici Romano rursum præstandæ significationem præbere posse. Ideoque die 24. Maij pro concione, festum Ascensionis Christi, proxima die 28. Maij celebrandum auditoribus suis denunciant, quod vno mense antè Pontificij iam peregerant. Hanc denunciationem ægerrimè ferens senatus, postridie superintendenti officium ac stipendium circa meridiem renunciat, eumque extra vrbem educi mandat. in quo dum moram præfectus vigilum nectit, Ciues re cogni-

cognita, primùm inermes, postea armati concurrunt, & pastorem suum iam currui impositum prope vrbis portam eripiunt. Crescente autem tumultu, ministri euangelici, rogatu senatus, ciues à seditione dehortantur & placant: cùm ex senatu, patricijs, mercatoribus & plebe deligendi decernerentur, qui controuersiam totam amicè ex æquo & bono componerent. His Ill. dux VVirtenbergensis & senatus Vlmensis, suos etiam legatos adiunxerunt, qui die 4. Iunij, quæ iuxta nouum Calendarium 14. erat, rem totam ita componunt, vt sancita vtrinque præteritarum offensionum ἀμνησία, Calendarium nouum in tota vrbe æquabiliter deinceps in politia & ecclesijs vtriusque religionis seruaretur. Pax religioni data nihilominus constans & firma maneret. Ministris verò euangelicis, ex suggesto, solennem protestationem auditoribus suis prælegere liceret, qua testarentur, se in doctrina euangelij, quam hactenus sonuissent, nihil mutasse aut mutaturos esse. nec vt Pontifici Romano, sed vt Cæsareæ Maiest. & magistratui politico obtemperent, Calendarium se communiter cum cæteris in eadem vrbe seruaturos esse. Sic pax & tranquillitas pristina illi Reipublicæ eo tempore restituta videbatur.

ERICus dux BRVNSuicensis, Erici filius, qui magnam vitæ partem extra patriam, in Belgico, Italia, Hispanijs consumserat, & pontificiæ religioni se magis quàm emendatæ & sinceræ, à subditis ipsi ciuitatibus & nobilibus cultæ, addictum esse ostenderat: tandem anno ætatis 56. die 7. Nouembris, Papiæ in Italia obijt. Cùm enim Papiæ vicina vrbs Dertona, alimentis Christinæ, socrus Erici, olim à Francisco Sfortia, priore marito, attributa fuisset: Ericus cùm coniuge Lotharingica, Christinæ filia, eò, mense Iunio anni 83. commigrauerat, & sesquiannum ferè commoratus erat. Cùm igitur Papiæ in Italia defunctus sit: tumuli sequentes de eo extant.

Quòd magis Italiam patriâ dilexit, Erico
Pro patria tumulos Itala terra dedit.

Ad defunctum:

Papa tibi, Papiaque fuit, non patria, curæ.
Hinc procul à patria te tegit vrbs Papia.

Cùm autem nullos, ex Sidonia Saxonica, vel Dorothea Lotharingica legittimis coniugibus, liberos Ericus reliquisset (nam VVilelmus, cum patre Papiæ sepultus, & Catharina, Ioanni Auriæ Genuensi à patre elocata, ex nobili concubina Margarita à Bukedam

kedam in Belgico susceptí erant) tota ipsius, non Brunsuicensis solùm auita, sed Hildesiensis etiam episcopi ditio, à patre olim occupata: &, quæ recens extincta comitum Hoiensium familia, ad Visurgim accesserunt: ad patruelis filium, IVLIVM ducem Brunsuicensem, tertio gradu agnatum, peruenerunt.

VVilelmus dux Brunsuicensis obijt 1503.

Ericus senior ⊖ 1540. — Henricus senior. ⊖ 1514.

Ericus iunior, natus 1528. die Laurentij ⊖ 1584. — Henricus iunior, dux Brunsuicensis. ⊖ 1568.

IVLIus conditor Academiæ Iuliæ, Erico iuniori succedens, ditionem Brunsuicensem, Calenbergensi domui adiunctam occupat: quam in duas regiones vsitatè distinguunt. superior, Transiluana, Gottingam metropolin, & Mundam ad Visurgis & Fuldæ confluentem, senatus aulici sedem: Ericoburgum: & alias arces ac præfecturas circiter viginti continet. Inferior, Deistro, & Leinæ fl. interiecta, ciuitates Hannoueram, Neapolin, Hamel, Munder, Bodden-

Bodenuuerder, Pattenſen, VVunſtorff, Grunam, Lawenſtein, arcem Calenberg, etc. complectitur.

LEINA verò fl. in ditione Hennebergenſi, ad pagum ὁμώνυμον, vno milliari ab oppido Meiningen verſus ortum ſcaturiens, longis ambagibus tandem in ducatu Brunſuicenſi vrbem GOTTingen, Alfeld, Grunaw, Calenberg, HANouer, Neapolin, alluit. infra quam, prope pagos ducatus Luneburgenſis Bothmar & Alden, nobilium ſedes, vno ſupra Retham milliari, in Alleram illabitur, atque inde Verdâ, Epiſcopi ſede præterueĉta, Viſurgi tandem miſcetur. DEIſter, non fluuius ſed ſylua eſt & mons ingens, in comitatu Schaunburgenſi exurgens, & Calenbergam arcem verſus aliquot milliaria porrectus. Alius verò eſt Vnſter fl. ſupra Goslariam ex Harcynia promanans, qui Hildeſiam & Sarſted oppidulum; ſeſquimilliari Hildeſia diſtans, allabitur. nec procul inde à Leina fl. abſorbetur. ALLERA verò, in diœceſi Magdeburgenſi, prope arcem Egenſted, ſedem Aſchenburgiorum, oritur. & VVolfsburgum ſeu VVelforum, clariſſimæ familiæ Barteslebiorum arcem, & CEllam, aulæ ducum Luneburgenſium, & Verdam epiſcopi ſedem, præterlapſus;

lapsus; quatuor supra Bremam milliaribus se in Visurgin exonerat, & nomen magno perdit in amne minor.

FRIDericus Saxoniæ dux Laoburgensis, Francisci filius, quem chorepiscopum Colon. acerrimum Gebhardo archiepiscopo hostem fuisse, superiori anno diximus: ARGENtinam hoc tempore, à suæ factionis collegis accersitus est, vt DECANI illius collegij dignitatem & opes, quas Gebhardus antea tenuerat, adiret. Cùm autem conuentus collegij ad decretum diem Argentinæ esset indictus, præteritis D. Georgio à VVittigenstein, præposito Coloniensi, & Ioanne Barone de VVinnenberg, & comite Solmense, ab episcopo Vercellensi Coloniæ vna cum archiepiscopo excommunicatis; hi nihilominus, etiam inuocati, in loco consueto comparuerunt, sessionesque suas inuitis reliquis occuparunt. Pontificij id videntes, de iniuria protestati, simul præter vnum ErnestumMansfeldium, qui hos deserere noluit, surrexerunt, & re infecta eo die discedunt. Verùm paucis interpositis diebus iterum quidam conuocantur, reliquis tamen prius exclusis, spe facta, de medijs quibus ad concordiam peruenirí possit, deliberatum iri. eodemq; prætextu,

Mansfel-

Mansfeldio, quod tum verbis, tum facto ab excommunicatis se dissentire non posse declarasset, ut secedat paululum, persuadent. Pontificij verò nihil minus faciunt, quàm verbis ostenderant, sed decretum cudunt, Gebhardum Truchsesium Decanum, loco mouendum; Fridericum Saxonem substituendum: excommunicatos, prælaturis, beneficijs, reditibus, sessione, votis, priuandos esse.

Cùm itaque hi se deceptos viderent, eque possessione sine causæ cognitione eijci iniquè ferrent, & prouentus debiti denegarentur: adhibito notario publico & testibus, communes ædes capituli, quas vulgò den Brüderhoff vocant, ingressi, de frumento in illa æde recondito sibi ipsis, quod deberi existimabant, soluunt. Quo facto, vtraque pars coram senatu vrbis, vti ante sæpè fecerat, conquesti: Hi, quod de facto, sine causæ cognitione, prælaturis, beneficijs, reditibus, sessione, votis destituerentur: Illi, quod in communes ædes, excommunicati irruptionem fecissent, seras, foresque effregissent, sibijpsis indebitum soluissent.

Senatus vt ab initio huius dissidij semper fecerat, medium se gerens, adhortatur eos ad concordiam, & ne ipsi vel eorum famuli inter

inter se armis in ciuitate agerent, sed iure loco conuenienti experirentur, monitos à se dimisit, addita comminatione, si respublica, ciues vel subditi intra vel extra mœnia incommodo aliquo adficerentur, se autoritatem suam interpositurum. Pontificij, accepto hoc responso, senatui diffidere cœperunt. qua de causa quidam ex ijs omnem paratam pecuniam capituli, ac omnia ingentis precij ornamenta summi templi, clam ex vrbe in alienum territorium transtulerunt. Euangelici eius rei admoniti, statim dictas ædes communes capituli, adhibitis iterum notario & testibus cum protestatione occuparunt, omnia loca, sed nimis tardè perscrutantes. Iterum igitur ad senatum peruentum: hi petiuerunt, vt Pontificij ablata restituere cogerentur. Illi verò, vt excommunicati propter vim commissam punirentur, & non tantùm communibus ædibus, sed & iuxta Imperatoris literas ad Senatum ciuitate expellerentur.

Senatus, qui hoc modo resciuit, thesaurum collegij & ornamenta templo dedicata clam ex vrbe à Pontificijs ablata esse, petijt vt quamprimum ea restituerentur: interim cum Euangelicis, vt relictis communibus in proprias ædes concedant, acturum se polli-

polliticus, sed frustra omnia. Pontificij enim, antequam à Senatu suæ petitioni satis fiat, restitutionem facere recusarunt. Econtra Euangelici, ante restitutionem rerum ablatarum, & cautionem præstitam, quod in posterum à turbatione desistere velint, donec per status imperij (quos tamen Pontificij causam iudicare non posse arbitrabantur) vtrum prælaturis, beneficijs & reditibus, propter Vercellensis excommunicationem priuari debeant, nec ne? deterimnatum fuerit: ædes communes deserere se non posse attestati sunt. Sæpissimè cum Papistis actum sine fructu. Ideo Euangelici aliquot millia modiorum frumenti vendiderunt, vt & sibi satisfacerent, & expensas in hoc schismate factas, ex communibus bonis, quemadmodum & Pontificij eo vsque fecerant, persoluerent. Cum itaque Senatus videret rem in peiorem statum delabi, & singulare interesse prætenderet, ne communes ædes Capituli, propter ius Asyli & publici transitus, occlusæ manerent: Euangelicis portas aperire mandauit, & ne idem in posterum ab vna vel altera parte tentaretur, vel canonici vim sibi inuicem inferrent, viginti sclopetarios sumptibus capituli ad custodiam portarum dispossuit, donec in concordiam redeant,

redeant, & ablata restituantur: ita interim vtrique parti liber aditus pateat. At Pontificij quamdiu Euangelici ibi residēt, ingredi non audent. Nec tamen destitit Senatus, euitandi maioris scandali gratia, Euangelicos amicè admonere. Illi econtra, vix sibi aditum liberum fore, si semel excesserint, neque se animaduertere, qua ratione liberum & sine discrimine vel tumultu, ad capitulum, sessiones & vota accessum habere possint, se autem satis mriari non posse, quod plus aduersarijs quàm sibi fauere videatur. Nunquam enim id se obtinere potuisse, vt autoritatem interponeret de non turbando in possessione, idque ea de caussa quod declarauerit se caussæ principalis iudicem competentem non esse. Id autem caussā principalem esse, vtrum de facto sine caussæ cognitione è possessione rectè eijciantur? & an non in possessione manuteneri de iure permissum sit. Quapropter Senatus tandem acquieuit, & partes iterum ad competentes iudices, status videlicet Imperij remisit. maximè quia vicini principes legatos Argentinam, qui pacis conditiones vsque ad determinationem caussæ principalis opponerent, se missuros esse ostenderant.

Legati primo loco Episcopum adierunt,

qui eos audiuit, sed pacis conditiones audire noluit, tùm quod se nihil cum capitulo commune habere, tùm quod summè dissidium illud canonicorum sibi displicere ostenderet, tum denique quod neque sibi, neque subditis, si negotijs capituli, rebus sic stantibus, se immisceret, consultum foret. Interrogarunt ergo legati, an capitulares adire, cumque ijs agere liceret: Id sibi placere respondit. Quare Argentinam profecti, Canonicis conditiones tales proposuerunt, quas cùm sine rubore rejicere non possent, plerisque acceptandas esse placuit. Impetrata itaque venia, eædem Euangelicis propositæ, hi spacium deliberandi petiuerunt. Interea Pontificiæ religioni addicti, Episc. consuluerunt, qui omnino, ne pacis conditiones acceptarent, interdixit. quod summè & legatis & senatui displicuit. Itaque domum re infecta reuersis legatis, Episcopus omnes suos vasallos euocauit, & coràm multa de schismate illo quantopere displiceat, quantoque labore componere illud studuerit præfatus, obnixè rogat, quia omnia frustra à se tentata sint, vt certum numerum, qui de componenda controuersia cum vtraque parte agerent, ipsi ex se deligerent. Deliligunt ex præcipuis 18. his adiunguntur legati

gati Episcopi. in vrbem veniunt, à senatu petunt, vt duos Senatores addat. Senatus ne deciperetur, ante omnia communicari secum petijt, quæ Tabernis acta, deliberata & concluſa ſint. Consiliarij episcopi aiunt, se id in mandatis non habere. Quare petitio denegatur. Ad partem tamen, à Senatu, & Euangelicis, nobilitati ab ouo res omnis exponitur, & hinc inde actitata in scriptis exhibere se velle pollicentur, vt ipsi statuere possint, quis meliori iure nitatur. Nobilitas satis instructa ab actione desistit, & domum re intentata discedit. Senatus vicinas ciuitates Imperiales decem, comites omnes, nobilitatem Alsatiæ, immediatè imperio subiectam, Argentinam euocat, quibus originem rei & quid hactenus actum exponit. deliberant, qua ratione regio illa, à tyrannide Pontificiorum, si bellum moliri conentur, defendi possit. Sed in Arctoam hanc Germaniæ partem, mari Balthico vicinam redeo. in qua

OSILIAM insulam, magno sinuiLiuoniæ ab occasu obiectam, duodecim milliaribus in long. septem in lat. patentem, & in decem παροικιας distributam, quam ab episcopo Osilienſi postremo Ioanne à Munchausen emerat, Fridericus Daniæ rex, su-

perioribus annis, Georgio Farensbeco, tribuno militum celebri, Liuono, tradiderat, hac conditione, vt toto vitæ tempore reditibus illius liberè, nullis redditis rationibus, frueretur, & viciſſim Regi Daniæ fidus ac obſequens eſſet, nec ſine permiſſu regis vlli alteri, operam ſuam addiceret. Primum verò militiæ tyrocinium hic Farensbecus, in patriæ Liuoniæ bellis inteſtinis aliquot annis fecerat. Inde, ductis in Moſcouiam equitibus, Germanis ſtrenuam aduerſus Tattaros operam Moſcho nauauit, &, cum delectis Tattaris, ad monomachiam ſubindè Ruſſos prouocantibus, aliquoties fortiter & feliciter, inſpectantibus vtrinque exercitibus, congreſſus, eximiam magnanimitatis, virtutis & fortitudinis heroicæ laudem ſibi comparauit. cuius fama multas gentes peruagata, in Daniam quoque ad regem Fridericum, virorum bellica laude præſtantium amantem penetrauit. qui in Regiam familiam Farensbecum adſciuit, (1573) & Marſcalcum aulæ Danicæ creauit. vbi octo annos commoratus, & fide, induſtria & virtute ſingulari, inclyto Regi probata: tandem cùm Stephanum Poloniæ Regem, patriam ſuam Liuoniam ſeriò ex Moſchi tyrannide vindicare intelligeret: ac ipſe etiam, ad recu-

recuperationem patriæ, aliquid operæ & laborum conferre cuperet: veniam à rege, ad bellum aduersus Moschos, sub Poloniæ regis auspicijs gerendum, flagitat. Daniæ rex collaudato ipsius studio & in patriam pietate generosa, non modò assentitur honestissimæ illius voluntati, verùm etiam Osiliæ insulæ feudum ad vitam ipsi, paulò ante indicata conditione adiecta donat, & literis suis eum Poloniæ regi commendat. Profectus igitur ad Regem Poloniæ, cùm in duabus aduersus Moschos expeditionibus ad Lucam & Plescouiam, eximiæ virtutis & fortitudinis decus, Imperatori exercitus Ill. Ioanni Zamoscio probasset, & magnas in peditum equitumque ornatissimorum delectum impensas feciſſet: finito bello, Rex Stephanus, compensare eius fidem, industriam & sumptus ingentes cupiens, præsidis VVendensis officium, & præfecturas aliquot in diœcesi Curonienſi, ac in his Piltteniam: & in Transdunana regione, Kerkhusiam & alias, hæreditario iure fruendas benignè offert. Farensbecus cùm honorificas sibi & fructuosas Poloni regis conditiones fore iudicaret: statim ad Daniæ regem, memor obligationis, qua ipsi deuinctus erat, omnia perscribit, & an ipsius perm ssu

sibi eas accipere liceat, inquirit. Rex respondet, Curonienſis diœceſis præfecturas, ad ſe & coronam Danicam, poſt Magni fratris mortem delatas, ſub ſua poteſtate eſſe. In cæteris ſe nolle Farensbecum impedire. nec tamen quidquam conſulere aut diſſuadere, ſed ipſius prudentiæ rem totam committere. Sperare autem eum memorem fore literarum, quibus ſe Daniæ regi viciſſim obligaſſet. Farensbecus, hæc verba, non obſcuræ permiſſionis vim habere ratus: oblatam præſidis VVendenſis dignitatem, & alias arces ac prædia, exceptis Curonienſibus, & paulò poſt etiam Liuoniæ equitum magiſterium, à rege Stephano delatum, recipit; & operam ac fidem ipſi ſuam, excepto tamen ſi quid aduerſus Daniæ regem moliatur, viciſſim obligat. Quo cognito, Daniæ Rex, cum Farensbeco per literas expoſtulans, ſtatim miſſo in Oſiliam legato, Arensburgum arcem ſibi reſtitui, vel quatuor nobilibus illius prouinciæ cuſtodiendam tantiſper tradi flagitabat, donec coram rege & ſenatu regni Farensbecus ſe legittimè purgaſſet. Cùm autem ſe non audito, & cauſa nondum cognita, feudum ſibi eripi Farenſbecus deprecaretur, & arcem nouis præſidijs ſibi iuratis muniret: maiores indignationum

tionum flammas rex concipiens quod non solùm alteri Domino fidem suam addixisset, verùm etiam Arcem suam, legatis suis patefacere & tradere recusasset: nouos commissarios, regni senatores, Petrum Munkium regni Amiralium, Hacum Holgeri, cum alijs nobilibus, inter quos Fridericus etiam Ranzouius, Henrici vicarij regij filius fuit, cum classe armata, in Osiliam mittit. Farensbecus interea ad Borussiæ ducem profectus, vt acceptis ab eo ad Daniæ regem literis, aditum ad reconciliationē facilioré inueniret; uxori & præfectis arcem vsque ad reditum custodiendam mandat. Cùm autem classis Danica appulisset, post sex dierum tractationem arx commissarijs regijs patefacta & tradita: & nobilitas totius prouinciæ supplex agnoscere culpam fidei erga regem violatæ, & deprecari, & Iuramentum Fidelitatis nouum præstare coacta est, quòd prioribus commissarijs regijs, non se contrà Farensbecum adiunxisset. Duci verò Borussiæ diligentissimè pro Farensbeco apud Daniæ regem intercedenti, prolixo scripto rex causas exponit, cur gratificari hac in causa Duci non possit. Farensbecus cùm implacabiliter sibi Regem irasci cerneret: Apologiam, prolixè & accuratè scri-

ptam, in Regum & principum vicinorum aulis ſpargit, qua, innocentem ſe, maleuolorum calumnijs premi, & nihil contra fidem & officium egiſſe teſtatur.

In POLOnia, de Samuele Sborouio, Petri Ioannis, Andreæ, & Chriſtophori, (quorum ſuffragio & opera fideli plurimùm Rex Stephanus in regni adeptione adiutus erat) fratre; ſupplicium capitale, iuſſu regis, Cracouiæ ſumptum eſt, quòd antea ex regno proſcriptus, contra perſonam, dignitatem, ſtatum & vitam Regis, quædam machinari intelligeretur. Id ſupplicium extra regni Comitia, à viro nobili, ex illuſtri & antiquiſſima familia gentis Polonicæ datum, varias animorum affectiones & motus in regno Poloniæ excitauit. Qui tamen intra ſermones, querelas, & murmurationum fremitus conſtiterunt. Sed rem totam, paulò altius repetam. Samuel ille Sborouius, ob interfectum in arce (1574.) ſub coronationem Regis Henrici, Caſtellanum Premislienſem, ex familia Vuapouia, perpetuò exilio mulctatus erat, citra tamen infamiæ notam. Quare, partim in Tranſyluania, partim in campis illis latiſsimis, in quibus graſſantur Nizouij Coſaccij, tum in proximis VValachiæ partibus vitam exilij degebat, ita tamen, vt ſæpius in regnum ad

ſuos

suos veniret, (habebat enim vxorem ex familia Spitronum, Castellani olim Cracouiensis filiam) & tàm Cracouiæ, quàm in alijs ciuitatibus ac oppidis moraretur, atq; interdum licentiosius grassaretur. Quærebat interea per fratres & consanguineos suos, vias & rationes, quibus placare offensam partem, & Reipub. decreto comitiali, restitui posset, quod tamen multis intercedentibus causis non successit.

Cùm verò passim multi conquererentur, & in singulis comitijs exclamarent, bannitos, contra leges Patriæ, in regno versari, impunè multa illicita & interdum atroces iniurias alijs inferre, negligentibus locorum, vbi hæc fierent, præfectis seu Capitaneis: quibus id ipsum non sine aliquo officij neglecti aut metus aut conniuentiæ nota exprobrabatur: admonebantur sedulò & seriò præfecti diligentius in posterum vt cauerent, ne quid ex eiusmodi indulgentia Reipub. incommodi & periculi, ipsorum caussa accideret. Et nominatim quibusdam in comitijs, instigantibus offensis, decretum fuit, ne quibusuis in locis, præfecti, Samuelem versari paterentur, quinimò si in contemptum legum id facere amplius præsumeret, vt pro officio, eundem captum seruarent.

His causis adductus regni Cancellarius Iohannes Zamoiscius, simul atq; præfecturam Cracouiensem adeptus est, cùm sciret Samuelem sæpius in minori Polonia apud suos & alios passim degere, omniaq; edicta illa, familiæ suæ fortasis nixum tum potentia, tum autoritate contemnere: admoneri illum aliquoties curauit per fratres Iohannem & Andream, alios item propinquos, ne in locis illis, vbi cum potestate versaretur, subsisteret, alias se pro officio exequi leges & recens lata decreta constituisse. Verùm is nihil has admonitiones curare, imò in contrarium eò audacius niti, & nouos quosdam conatus & factiones moliri, & Cancellario ipsi periculum machinari intelligebatur.

Cancellarius interea pro more, iudicia ordinaria, quæ non nisi per ipsos præfectos administrari solent, proclamari iubet. Cracouiam ex Lituania proficiscitur. Circa Sendomiriam transeunti nunciatur, Samuelem amplo cum hominum numero stipatum, simul cum illo Cracouiam ingredi constituisse, subindeq; non procul ab eodem nocturno hospitio deligendo subsistere solere. Per aliquot idipsum penitius exploratores cognoscitur, venitur tandem Prassouiam

uiam, vbi cum Cancellarius pernoctaturus subsitisset: medio ab inde miliari, apud viduam sororiam suam VVbodokouua nuncupatam in villa Piekari, Samuel hospitatur comitatus sui maiore parte in viciniore villa relicta.

Cùm verò hic iurisdictioni præfecti Cracouiensis primum locus aperiretur, noctu propræfectum Vrouecium immittit cum præsidiarijs, qui impetu in domum viduæ, facto, licet non statim proderetur, interfecto vno puero, qui gladium Samueli porrigebat, & filio eiusdem aliquantulum vulnerato, quod bombardam eiaculatus esset, post multas concertationes Samuelem capitum (exeunte Aprili) Prassouiam deducit: inde simul cum Cancellario Cracouiam recta in arcem, curru proximè ipsum sequente, cum præsidio, liber vectus, ac custodiæ traditus est. Porrò qui tùm præsentes aderant ex nobilitate Cracouiæ, obuiam progressi, cùm primum in arce Cancell. salutassent, longa ac diserta oratione totius facti rationem sibi explicari audiuerunt. Interea dum Samuel sub custodia nemine penitus ad se admisso, asseruatur: Cancellarius, qui capto statim Samuele, Regis consilium sciscitatus fuerat, præcipuis etiam regni Sena-

Senatoribus per literas facti sui rationem reddit.

Altera ex parte Samuelis consanguinei & amici, publicè & priuatim, de vi & iniuria, non Samueli solùm, sed toti familiæ illata, queruntur, & nihil non tentant apud Zamoiscium, vt Samuelem, si non ex captiuitate, saltem ex carnificis manu liberarent. Demonstrare illius innocentiam conabantur, quòd vim vi repellens, in casu iustæ & necessariæ defensionis, Vapouium interfeciſſet. quòd non à Republica in regni comitijs, sed rege priuato, qui profugus postea regnum reliquerit, præter senatorum voluntatem & consensum proscriptus sit, addita etiam in literis proscriptionis clausula; citra notam infamiæ, & vita illius sit in gratia Regis. Cumq; ad Reipub. Senatum, in Comitijs publicis, quod in eiusmodi causis fieri solet, nunquam delatus sit: non legum contemptu, sed regia potius autoritate & voluntate, in regno mansisse: & cum præcipuis regni proceribus, senatoribus, ac ipso etiam rege, familiariter vixisse; imò fidem ipsi datam esse, quòd tutò in regno versari posset ipsum hac profectione, per Poloniam transiturum saltem fuisse, vt filium in Germaniam duceret. Zamoiscium magis priuato

uato odio, quam legum obseruantia impulsum hæc mouisse. Addebant libertatis iura, prouocabant ad regem & regni comitia: nec causam tantam, de existimatione & vita viri principis, extra regni comitia decidi posse. exaggerabant incommoda & mala infinita, quæ oriri ex hac tyrannide & in totam rempublicam redundare possent. Orant ne æmulatione vel inuidia, generosam Sborouiorum familiam turpissima infamiæ macula temerè aspergat. Omnes etiam suas fortunas, & corpora, pignorum & obsidum loco offerunt, ne quid statuatur grauius, donec Regis ac reipublicæ maturum interueniat iudicium & autoritas.

Tota etiam nobilitas Palatinatus Cracouiensis per Sucammerarium Zikouium, satis accurata & grauiter prudenterque conscripta oratione se interponit (10 Maij) à Cancellario hoc vnum efflagitans, ne quid præcipitanter in illum committeretur: sed ad comitia potius causæ huius, per omnes ordines cognitio & iudicium reseruetur vel saltem ad R. M. remittatur. Quibus ita respondit Cancellarius, vt vicissim prolixo scripto, facti totius, cum circumstantijs omnibus narrationem eis exponeret, nec tamen quicquam categoricè de sua voluntate signi-

significaret, nisi, quod in præsenti causa id facturus esset, quod sibi secundum DEVM conscientia & officij autoritas dictaret.

Interea Samuelis frater Andreas, Curiæ Marschalcus, literis & ipse instat vna cum alijs consanguineis suis, apud ordinarios Iudices regni, tum Lublini Iudicia exercentes, partes suas vt interponerent ad Cancellarium, ne quid atrocius in fratrem statuere vellet, satis iam superque familiæ illorum, violentiæ & iniuriæ, capto fratre illatum esse. Volebant dare obsides numero decem, ex præcipuis huius familiæ, ac obligare sese, quod Samuelem in Comitijs sereniſſimo Regi & ordinibus regni sistere vellent iudicandum, nec defuturas illi, secundum leges & decreta legitimas atque iuridicas defensiones. Tandem petierunt consilium ab ijsdem, quid aut quomodo in tam acerbo familiæ casu agendum vel procedendum sibi esset. Breuiter sed prudenter à iudicib. responsum est illis, & quidem ita perplexè, vt nihil ex ijs literis, aut pro se trahere, aut contra Cancellarium possent. Summa tamen erat, se in tali casu consilium præbere non posse, nihil hoc ad illorum officium aut iudicia pertinere, non defutura tàm amplæ & potenti familiæ sufficientia & oportuna consilia domi.

Sub

Sub idem tempus Cancellarius per literas, significabat ijsdem iudicibus, quid & quomodo factum sit, non consilium aliquod inquirens, sed rei veritatem explicans, ne aliter vt in eiusmodi negocijs fieri solet, traduceretur. In dato eidem responso gratias agunt Iudices, qui tanta prudentiá ac vigilantia vsus fuerit: satis eum testatum fecisse, quem virum, vt in defendenda patria armisque tractandis, ita in legum obseruantia & securitate publica tuenda, se præstitisset, non dubitare se concludunt breuiter, illum tanquam senatorem prudentem, in legibus & libertatibus patriæ & natum & optimè excercitatum, quemad. in alijs omnibus hactenus fecisset, actum præsentem ad huiusmodi effectum perducturum, vt vtrumque ius, videlicet, publicum & libertas nobilitatis, salua & integra permaneant nihilque inde, quod aliqui ominari viderentur, emergat aduersi.

Paucos post dies, cùm nobilitati Cracouiensi responsum, ad interpositam intercessionem datum esset, 15. Maij significatur Samueli, domui suæ vt disponat. A regia enim Maiestate mandatum esse Cancellario, vt iusticiam aduersus illum exequatur. Cumque colloquium Cancellarij

expe-

expeteret, ante vesperam conuenitur à Cancellario, tribus adhibitis testibus, vbi, cùm mitius & Christianius secum agi Samuel rogasset, Cancellarius mandatum regium ipsum legere iubet. Deinde ex Christophori fratris ad ipsum literis multa expostulauit.

Summo manè subsequentis diei 16 Maij. eductus in locum solitum suppliciorum, vicepræfecto cum tribus vel quatuor alijs præsentibus, cinctus 50. Haidonibus, substrato rubeo panno, Capite plectitur, inuolutusque linteo ad id præparato, imponitur loculo & feretrum pannis paratis contegitur. Arce inde aperta, turmatim ad hoc triste & stupendum multis spectaculum plurimi confluunt, donec quinta à supplicio hora socrus Samuelis, Castellana, aliquot fœminis generosis, & amicis notis & ignotis stipata plurimis in arcem ascendens, necati generi corpus sibi tradi petit. Quod currui impositum in Palatini olim Calissiensis domum deduxit, vbi lotum & assuto capite, denuo more militari ornatum, in toga rubea serica, cum claua, biduo conspiciendum à quibusuis frequentantibus publice iacebat.

Postridiê illius diei, quæ res magnæ fuit plerisq; admirationi, Cancellarius cum Episco-

Episcopo pransus est, & ad D. Franciscum ex arce, iuxta ædes, in quibus funus iacebat bis profectus est. Quarto ab inde die, Andreas Sborouius, frater, Marschalcus, magno comitatu, Cracouiam venit, neq; quicquam subsistens aut solennem aliquam actionem vel protestationem interponens, eadem die corpus ex vrbe abduxit. Nec quicquam postmodum subsecutum est eorum, quæ multi passim sparserunt. sed publicè omnes conquieuere, vt prudenter sanè quidam ex minore Polonia scripsisse videatur. Crede mihi istud factum non erat fabrica vnius diei, diu multumque de eo consultabatur, quo ad venit summa dies & ineluctabile fatum. De quo quidem eius hominis interitu hic varij variè iudicant. Dicunt alij iure cæsum esse, & laudant iustam animaduersionem .Alij verò dolent sed altum premunt corde dolorem, interdum collachrimantes & tyrannidis metu alas quatientes, quorum quidem sunt pauci. Sed vt fert tempus, facetis prudentiorum sermonibus perstringuntur, vt iam mitiores esse videantur. In summa breui ea omnia euanescent principiis deferuescentibus. Cæteri verò eiusdem farinæ iam aliquando intelligent, vibratum esse ensem ad vindi-

candam insolentiam, hactenus .n. susq; deq; ferebantur vicia & immanitates. Hæc ille.

Cùm autem fratres Sborouij, apud gentiles & affines suos, multa de Cancellarij iniuria questi, & de Rege ipso in ordinem redigendo mouissent, & literis ad plures alios scriptis, aduersus regem conspirare existimarentur: capita factionis, Christophorus & Andreas Sborouij fratres, ad comitia Vuarsauiæ, proxima, literis regijs citati sunt. Vbi Senatus Regni, Samuelem Sborouium iure cæsum pronunciauit, & Christophorum Sborouium, conspirationis aduersus regem initæ ducem & autorem proscripsit. Cæteri supplices in gratiam recepti sunt.

Ioannes Basilides magnus Moscouiæ dux, seu Russorum Imp. qui totos 25. annos grauissimo Liuoniam bello adflixerat & vastarat, mense Martio, tyrannidis & vitæ suæ finem fecit. quem Russico more valdè pium fuisse narrant. moriturus enim, filium suum Fœdor (sic Theodorum illi nominant) & præcipuos proceres ad se accersiuit, in quorum præsentia, filio prædicto, totum Imperium pia exhortatione commisit, illique quatuor summos consiliarios adiunxit, Iuuan Fædoruuitz Mistislauuski, Mikita Romanowitz, Iuuan Petrowitz Zuschkou, & Michaë-

Michaëlem Andrewitz Beſſnyn, qui noui ducis & Reipublicæ ſalutem curarent. quibus ſuaſit, vt ſuo exemplo commonefacti, à bello ſemper abhorrerent, & cum vicinis regibus pacem & amicitiam colerent. Iuſſit etiam, ſubditis per totam Ruſſiam diuturno bello ad paupertatem redactis, cenſus certos & tributa ad decennium remitti, vt interea temporis vires & opes iterum colligere poſſint, & omnibus captiuis liberam poteſtatem manendi aut abeundi concedi voluit. His poſtremis mandatis editis, tonſus & monachorum veſte indutus, ex hac vita migrauit. cuius tyranni mors, vniuerſam Ruſſiam, Tattariam, & omnes finitimas gentes, immenſa lætitia & voluptate affecit. Paulò ante obitum, inſidias Tattaris Caſanenſibus molitus erat. Nam hi ſuperiori anno mota ſeditione rebellarant. Pacem igitur fictam menſe Octobri cum illis confirmauit, atque omnem ſeditionis culpam illis ſe remittere falsò oſtendit, vt ſecuri, diſſolutis copijs diſpergerentur, & quilibet domum ſe conferret. Interea magnum exercitum ipſe conſcripſit, quem contra Regem Suecorum ſe ducere velle, tàm Tattaris quàm Moſchis omnibus perſuaſit, vt hoc modo Tattaros ex impro-

uiso inuaderet, & pœnas seditionis ab illis sumeret. Cumque iam Tattaros dispersos & securos esse putaret, totum exercitum confestim in regnum Casanensium misit. Qui hac de causa à magno Duce se eo missos fuisse simularunt, vt regioni Casanensi & metropoli, longa obsidione vexatæ, de commeatu & alijs rebus prospicerent. Tattari verò fraude illorum animaduersa, mox vndique confluxerunt, & Moschos qui propter altissimæ niuis asperitatem cum equis suis sessis nusquam effugere poterant, calceis vel soleis ligneis & oblongis, quibus feras & equos velocissimos per niuem præuertere possunt, adorti, aliquot millia eorum trucidarunt. Ita Tattarorum seditionem moriens inultam reliquit.

Ex Anastasia, prima vxore, Romani filia, Mikitæ Romanowitz, quem Tutorem filio datum iam dixi, sorore, filios duos suscepit, Ioannem & Theodorum, ex quibus priorem successioni & imperio iam destinatum, pater ipse, ante sesquiannum, inconsulto impetu trucidarat. Is adolescens 20. annos natus, tertiam habebat vxorem Helenam, Ioannis Scheremitoni filiam cùm priores duas, inuito ac dolente ipso monasterijs includi pater iussisset. Quod

cùm

cùm patri, tertiam quoque vxorem inhumanius tractanti, filius exprobraret: pater iracundia percitus, pedum seu baculum, quem manibus gestabat, ad tempora Ioannis illisit, ex quo ictu post diem quintum extinctus est. Minor itaque natu filius, THEOdorus, morienti patri superstes, solus successit, cui IRENE, Theodori Godouij filia, coniugio iuncta est, cum qua die 28. Iunij inauguratus est.

TAVRICÆ Chersonesi partem borealem, quæ Tattarorum Præcopitarum sedes iam aliquot seculis fuerat, Osman bassa, ex Persico bello, per Colchidem & Pontum Euxinum redux, mense Maio occupauit, & in prouinciæ Turcicæ formam redegit. Est autem TAVRica CHERsonesus, quam Præcop, & Tattariam minorem hodie appellant; ampla peninsula, 24. milliaria longa: 15. lata, inter Pontum Euxinum & Mæotiden, versus ortum porrecta ad Bosphorum Cimmerium, qui ad gradum long. 64. lat. 48. Europam ab Asia disterminat. Eam mediam, horridi & ardui montes, velut Apenninus Italiam; in boream & australem, cuius Capha emporium celebre, anno 1475. à Mahomete occupatum, metropolis est, dirimunt. In boreali verò parte, TATtari

Crimæi vulgò appellati, latissimos inter Borysthenem & Tanaim campos, pascuis subinde mutatis peruagantes, sedem regiam annos iam ferè 400. habuerunt oppidum CRImæam. quibus tributum seu pensionem annuam, aliquot mill Vngaricorum, Poloniæ reges ab auorum memoria pendunt. Horum rex, proximis annis, Mechmet Kirei, Turcis confœderatus & socius fuit 1581. Aduersus quem proprij fratres seditionem mouerunt: & cum viribus regi impares essent, ad Stephanum Poloniæ regem, quem infensum Tattaro, tributum annuum pendere hactenus recusasse sciebant, auxilij implorandi causa fugerunt. Eos cùm aliquoties Tattarus repeteret, nihil tamen apud Polonum efficeret: tandem Turcarum Imperator à rege obtinuit; vt Byzantium, cum legato Polono, Hieronymo Philippouio, ad filij sui circumcisionem mitterentur 1582.

Deulet Czar.

Mechmet *rex Tattarorum.*	Adlei *à Persis captus & necatus.*	Hali. Salomet *ad Polonum profugi, in Turciam missi.*
Sadit.		

Tattaro autem hos, Turcarum Imp. non restituit, cùm tanquam regis Tattarici obsi-

obsides retinere eos cuperet, vt vellet, nollet Tattarus in officio retineretur. Id graviter Tattarus ferebat, & tamen petente Turcarum Imp. vt illius stipendijs in Asiam aduersus Persas auxilio Turcis proficisceretur: & restitutionem fratrum denuò pollicente: regi confœderato gratificatus est. Cùm autem Turci clade ingenti apud Tiflin à Persis affecti essent, Tattarorum rex, per Circassios & Mengrellios, qui iam Colchidis partem inhabitant, iter faciens, clade intellecta, cum exercitu suo in regnum se recepit, multum damni habitatoribus regionum Turcicarum, per quas iter faceret inferens. Verùm vt in regnum redijt, intelligeretque, fratres suos, sibi à Turcis, ex fœdere & promissione nondum redditos esse, magnis in Turcam exarsit iris. Eius mitigandi caussa, AMVrathes, legatos cum donis eximijs, ad ipsum misit, excusans quare hactenus fratres ipsi non remiserit: allegans, in securitatem regis id feciisse, ne remissi fratres, absente Rege res nouas molirentur. se eos aut remissurum breui, aut in securitatem regis penes se retenturum.

Sed fratres Tattari negligentius Byzantij custoditi clam aufugerunt 1583. ac denuò bellum fratri regi, auxilio Moscouitarum,

& quorundam Tattarorum intulerunt. Ad quod propulsandum Tattarus auxilia Turcarum imploravit, quæ quidem promissa sunt, sed non præstita. Cùm autem denuò à rege Tattaro fratres seditiosi regno exacti essent: Tattarus omnem culpam in Turcas deriuauit, credens eorum instinctu (cùm inexplebili teneantur dominandi cupiditate) factum esse, quod bellum adeo funestum & exitiale fratres sibi intulissent. Ratus id nisi ita esset, fratres sibi iamdudum, aut restitui, aut eadem diligentia, qua multi alij principes viri ab ipsis retinentur, custodiri potuisse. Accedebat eodem fermè tempore, vt Turca legatos ad Tattarum mitteret, ac rursus ab ipso, auxilia in Persam, non vt antè, benignè peteret; sed exemplo nouo, superbè fermè efflagitaret. Quare Tattarus ingentes irarum aduersus Turcam concipit æstus, ac nimium iracundiæ indulgens, non prius Turcis bellum indixit, quàm intulit, atq; ciuitatem Capham (quæ in Taurica Chersoneso olim Theodosia dicta, à Mahomete verò, Genuensibus & antea maioribus suis erepta erat) intercipiendam sibi esse ratus, eam obsidione cingit, atque armis, & amotione commeatus, ita Turcas, in vrbe Capha, nihil tale vnquam

à so-

à socio rege metuentes, presit, vt non modò de facienda deditione deliberarent, sed etiam intra duos dies dedere vellent.

Interea Amurathes, extrema quæque à Tattaris metuens, consilio habito, Tattarum quendam Aslan Czirei dictum, quem multos annos captiuum detinuerant Ottomanni, & ipsum regij sanguinis, & vt fertur, naturalem regis fratrem, accersiri iubet. Eum benignis alloquitur verbis; ad magnos posse peruenire ipsum honores, si sibi obedire vellet. Rebellasse sibi regem Tattariæ, nulla de causa; omnia in regno tyrannicè agere; subditos miserabiliter affligere; eos grauatè ferre imperiosum dominum. Proinde si ipse vellet in Tattariam proficisci, se ipsi & pecunias & exercitum esse daturum, vt tyrannide liberaret patrium regnum. Consuesse enim Ottomannos iustitiam colere: miseros defendere à tyrannorum insultibus: esse apertam cunctis afflictis Ottomannicam portam, refugium & receptaculum pauperum & derelictorum. Lætus miser, quod seruili statu solutus, citò dominus salutari deberet, annuit.

Itaq; ex voluntate Imp. Turcici, subitò, non quidem Rex, sed TATTariæ BEG Lerbegus est declaratus. Iurauitque

fidelitatem Amurathi & ipsius legittimis successoribus; accepitque vexillum aureum quemadmodum pro signo fidelitatis, aut loco inuestituræ, Tributarij & subiecti principes, Moldauus, VVallachus & Transiluanus à Turcis accipere solent. Exinde, duce Ochiali, maris præfecto, cum quadraginta, non amplius, triremibus, initio mensis Aprilis, soluit Constantinopoli, atque paucorum dierum spatio, prope Capham appulit, cùm postero die ciuitas dedi deberet Tattaro. At Turcæ non modò auxilia in vrbem intulerunt, sed etiam seruitute liberatus Tattarus, tentauit optimatum apud fratrem animos, pecunijs, donis & promissionibus, vt aut dederent sibi fratrem viuum, aut occiderent. Acceperat enim in eum finem, à Murathe ingentem pecuniarum summam. Itaq; pecunia multos ex Tattaris corrupit; inter quos etiam fuerunt consiliarij regis, atq; vnus ex intimis & selectissimis amicis. Qui vti conuentum erat, proprium regem, in casa rustica tum diuertentem, cum duobus filiolis in frusta concidunt, atque eum, qui hoc ita fieri desiderauerat Aslanum, pro Domino accipiunt, honorantque. Qui donis & promissis multis sibi Tattarorum amicitiam & fidelitatem conci-

conciliauit. Talem ad modum Tattari, qui hactenus liberi & indomiti fuerunt, ex socijs & fratribus Ottomannorum, ipsi sunt facti serui, Quem amicicia Ottomannica finem plerumque habere solet.

Cùm autem Tauricæ Chersonesi, in prouinciæ formam à Turcis redactæ, historiam recitauerim: cæterarum etiam omnium IMPErij TVRcici PROuinciarum, quas per Bassas seu vicereges suos administrat, CATAlogum, obiter adiungam: primùm in Asia:

1. Natoli, h. ASIAE MINORIS Beglerbegus, seu vicerè, residet in Chiutaia.
2. Caramàn, Ciliciæ præest.
3. Seuàs, Syriæ superiori, residet in Sebastia.
4. Halèb, Alepi parti Syriæ.
5. Scham, DAMASCI, quæ Scham Turcis & Arabibus dicitur. Syriæ, Cœlesiriæ, Palestinæ.
6. Tarablos siue Traplos, Tripolitano regno præest ad montem Libanum.
7. Maràs, Arabiæ desertæ confinis.
8. Diarbechiè, MESOPOTAMIAE.
9. Bagdat, BABYLoniæ & Caldææ.
10. Fàs, Mengrellios, Colchidis habitatores

res sub se habet, forsitan à Phasi fl. ita nominant.

11. Ezrum, parti ASSYRIÆ & ARMENIÆ
12. Balsara, ad sinum Persicum, Persidis & Chaldææ partem habet.
13. Labsa. Caramanniæ quæ Ormum versus
14. Iemen Adin, ARABIÆ.
15. Hebesch, ad sinum Arabicum dominatur, obiectus Presbitero Iohanni.
16. Messier, ÆGYPTO, residet in Cairo, quam Messier vocant Turcæ cum Ægypto. Iudæi Misraim ex literis sacris adhuc vocant.
17. Cypro. Cypro præest, residet Nicosiæ, siue Niconiæ potius.
18. Van, in confinibus Persiæ.
19. Schereful, etiam in confinibus Persiæ, sed tamen Assyriæ magnam partem sub se habet.
20. Cars in Armeniæ & Mediæ finibus
21. Tiflis, in Georgianorum R.
22. Tschildir, in confinibus Mediæ.
23. Sohum, ibidem
24. Temircapi. Ferreæ portæ.

Hi Bassæ nuperrimè constituti sunt contra Persam. sed reliquis, propter incertum belli euentum, & propter prouinciarum paruitatem, nequaquam comparandi sunt.

IN

IN EVROPA.

1. Rumuli, Thraciæ & GRAECIÆ TOTIVS. Turci enim Græciam Rumuli vocant, corrupto Romaniæ nomine. alij post Constantium magnum, vocant Thraciam. Sophiæ sedem habet, sed plerunque Constantinopoli degit.
2. Cassa. Tauricæ Chersonesi, olim Theodosia dicta.
3. Temesuàr, Hungariæ versus VVallachiam.
4. BVDA, Hungariæ superioris, residet Budæ.
5. Bosna. Dalmatiæ, Illyridi, & Croàtiæ parti præsidet Bossinæ.

IN APHRICA.

1. Giul Gesarè, Algeriæ præest, quam Turcæ ab antiquo nomine, sed corrupto, Iulia Cæsarea, nominant.
2. Tunis, Tunetanum habet Regnum & residet Tuneti.
3. Tripoli, Leptis est antiquis, & Tripoli Aphricæ residet.
4. Capitan Bassa his adiungitur, Is mari præest, & inter Beglerbegos numeratur. Et fermè omnes Ægei maris insulas sub se habet. Residet tamen plerunq;

runque Constantinopoli & Callipoli.

Singuli Berglerbegi sub se habent suos Begos, siue Sangiacbegos, quorum quisq; fermè principatum aut Ducatum obtinet, & vice Beglerbegi sunt, seu vice Domini. Seruit eorum quisque plerunque 500. sæpe 1000. equitibus. Horum in vniuersum sunt plus minus 300. Hi sub se habent Spahi-feros, quos rectè vocamus Vasallos siue beneficiarios: Nam equites merent & beneficia pro stipendio habent ad tempus.

Eodem ferè tempore, quo Tauricæ Chersonesi partem boream, prouincijs Turcicis Amurathes adiunxit: parùm abfuit, quo minus omnia Christianorum templa Constantinopoli (quorum circiter triginta in monasterijs & alibi superesse intelligo) in Moscheas seu Mahometicæ religionis spelunicas summi sacerdotum Turcicorum pontificis (quem Mufti appellant) instinctu conuerterentur. Cumq; Græci, Armeni & aliæ gentes Christianæ, subiectissimè deprecarentur, & Mahometi II. ac sequentium Imp. priuilegia Christianis de libero religionis eorum exercitio concessa allegarent: responsum est, eo tempore propter vrbis solitudinem, & Musulmannorum paucitatem indultum esse. Nunc cùm tanta Mahometicæ Religionis cultorum in urbe frequentia

sit,

sit, vt templis pluribus indigeant; æquum esse, vt illis Christiani cedant. Postea Hispaniæ regis apud Venetos legatus scripsit, Amurathem omnia Christianorum templa deturbâsse, & in sua vertisse. Idemq; Hierosolymis fieri mandasse. sed duo tantùm Christianorum templa Byzantij eo tempore occupata esse constat. In Patriarcham verò ira tyranni Turcici præcipuè effusa est, quem catenis vinctum per vrbem ignominiosè vehi & tandem in Rhodum insulam relegari mandauit. caussam indignationis alij aliam perscribunt. Inter cæteras vna fuit, quod cum Romano pontifice conspirationem nouam inire, ad Amurathem delatus erat, propterea quod Calendarium illius emendatum, in Græcia etiam, & reliqui Orientis ecclesijs Christianis, seruandum, magna cum multorum offensione recepisset, & ob latam diuortij sententiam, à potenti quodam Græco, qui vt se vlciscì commodius posset, ad Mahometismum defecerat, assiduè in aula accusaretur. denique cùm in Synodo, de Græcis certis, in deserta quædam loca, velut coloniam deducendis, vt Turca petiuerat, deliberaretur: idq; durum & iniustum sibi videri Patriarcha pronunciasset: Theophilus Hieromonachus

&

& Pachomius, hoc Turcæ prodiderunt, ac Patriarchæ dignitatem Pachomius, additis supra vsitatum Canonem, aliquot millibus ducatorum adeptus est. Sed longius etiam in hæc Byzantina euagor. Quare ad sequentis anni res Henetas & Saxonicas redibo. Vbi de Anglia, quam transmarinam Saxoniam Bonifacius nominat, vnum hoc annotauero, initio anni, conspiratione aliquot procerum, instinctu Romani P. P. & Hispanorum, aduersus Reginæ Elisabethæ caput & statum initam, singulari Dei beneficio retectam esse. Hi, captiuam Scotiæ reginam liberare, & in thronum regni Anglicani, priore regina trucidata euehere: & pontificiam religionem, reformata funditus abolitâ, restituere moliebantur. Cùm autem è coniuratorum numero vnus, reginæ & patriæ misertus, indicium ad reginam detulisset: autores & principes coniurationis præcipui, Amiralius & alij, capti & confessi, supplicio debito affecti sunt.

Initio anni M. D. LXXXV. RIGÆ in Liuonia, motus ciuium ingens, Calendarij Gregoriani occasione excitatus est. Quod, cùm mandatu regis, Senatus & ecclesiæ ministri recepissent; & eâdem cum Iesuitis die 15. Decembris, festum Christi Natale

Natale celebrarent? communitas ciuium ac populus vniuersus, grauissimè offensus, nec concionibus, nec ritibus ecclesiasticis interfuerunt, nec cæna Domini vllus toto illo tempore vsus est, quod nunquam antea accidisse quisquam meminerat. Die 24. Decembris, ciues senatum rogarunt, vt sibi etiam Genethlia Filij Dei vsitato die cum vniuersa Christi ecclesia seruare liceret. Quod cùm illis negatum, nec concionem habituros ecclesiæ ministros dicerent; nihilominus frequentissimi sequente die ciues hora octaua in vtroque templo cum Rectore & schola conuenerunt, pijs cantionibus natalicijs, tàm simplici quàm figurata Musica, Deum laudantes & celebrantes. Id ægrè ferens Burggrauius Nicolaus Eik, cùm Vilna redijsset, & à pastore Georgio Neunero instigatus esset, die 2. Ianuarij, Rectorem Scholæ, eò quod pueris in schola, præsentibus etiam multis ciuibus, concionatus esset, in curia retinuit. Cùm autem rumor in vrbe spargeretur, Rectorem & aliquot ciues, ea ipsa nocte, capite truncatum iri; conrector scholæ, M. Valentinus Rascius, singulari erga collegam fide: & ciues aliquot, Burggrauium rogarunt, vt Rectorem ex custodia dimitteret: se, de ipso in iudicio sistendo, fi-

dem interposituros esse. si recusaret, metum ingentis tumultus in vrbe imminentis omnium bonorum animos vrgere. Cum verò Burggrauius illis gratificari nollet: Scholastici in plateis discurrentes præceptoris sui calamitatem miserabiliter deplorant. & concurrentibus ciuium & opificum famulis, ianuas curiæ perfringunt, Rectorem volentem nolentem eximentes. Interea reliquum vulgus, ædes pastoris Neuneri, Burggrauij, & Syndici Gothardi VVellingi, diripit, & pastorem misere tractat.

Cùm primus hic repentinus infimæ plebis impetus noctu deferbuisset: postridie ciues, qui totum iam triennium, post receptos in vrbem Iesuitas, taciti dolebant ac fremebant, quod se inscijs ac inuitis, Religionem pontificiam in vrbe & tota prouincia restituui, & libertatem patriæ publicam labefactati, iurisdictionem in nobiles in vrbe grassantes, ciuitati ademptam, Lithuanis libera cum exteris commercia concedi cernerent: hoc tumultu excitati, inquisitionem in Senatus acta instituunt, & clausis interea vrbis portis, & quatuor vexillis in forum productis, conducto Aduocato, Senatum interrogant, an communi Senatus consensu iuramentum Drochizini à legatis præstitum: ecclesiæ

ecclesia D. Iacobi alienata: Iesuitæ in vrbem recepti: Calendarij mutatio admissa: nondinæ Lithuanicæ, & alia præter & contra instructionem Legatis à ciuitate datam, Regi concessa fuerint. Vbi pleraque inscio toto Senatu, per paucos homines, aulæ regiæ fauorem & propria commoda captantes, in totius Reipublicæ præiudicium, acta transacta esse intellexerunt. Totos autem quatuordecim dies ea tractatio durauit, in qua Burggrauio & cæteris proximo tumultu ablata restitui debere, ac vt præteritarum in tumultu offensionum ἀμνηστία esset, sancitum est. Calendarium Gregorianum, quod Senatus & concionatores mandato regio receperant, rnrsus Rigâ explosum. Administratio pecuniæ publicæ, & prædiorum ciuitatis rusticorum, vt Hamburgi, Brunswigæ, Rostochij, & in alijs ciuitatibus antea factum erat, à Burggrauio & consulibus cum ciuium delectis, qui rationes Senatui quotannis redderent communicata est, & alij articuli quamplurimi vtrimq; deliberati recepti ac subscripti sunt. Postea apertis iterum portis, & restituta tranquillitate publica, mense Martio, actionem aduersus Ioannem Tastium, qui multis annis Reipublicæ Secretarius ac prætor, & in legationibus

Oratoris munere functus erat, in iudicio instituunt: quod in legationibus ad regem, nomine Reipublicæ susceptis, multa præter & contra fines mandati, à ciuitate accepti, in multis articulis, ad religionem, bona ecclesiastica, munitiones vrbis, mercaturam Lithuanæ nobilitatis in vrbe cum exteris; duas partes portorij seu vectigalium regi cedendas; iurisdictionem aduersus nobiles, in vrbe delinquentes, statuto Toronense corpori priuilegiorum assuto, reipublicæ ademptam, quod in Andreæ Plessij causa primùm eruperit &c. pertinentibus; perfidè multa contra Rempub. egisset. ideoque in curia eum custodiri vsque ad litis exitum petiuerunt. Hic verò die tertia, postquam in curia manere iussus erat, elapsus, ad gubernatorem in arcem vrbi contiguam confugit 18 Martij. Etsi autem vigore priuilegiorum ad Senatus vrbani iurisdictonem reuocabatur: tamen diutius anno in arce defensus est.

Secesserunt eodem tempore, Burggrauius etiam, Nicolaus Eike, & Neunerus pastor, & Cannius quidam scriba. Quibus grauissimè apud Poloniæ regem Stephanum, de communitate conquerentibus: & Burggrauio Rigensi coram Cardinale gubernatore, accu-

accusationem aduersus ciues instituente: Rex, omnes tractatus, tempore tumultus cum Senatu habitos, & nominatim 68. articulos nouarum seu renouatarum constitutionum, à Senatu subscriptos, irritos pronunciauit, & pristino loco ac tranquillitati omnia restitui mandat. Cardinalis etiam, cùm ciues se iudicio sisterent, Diploma ipsum nouarum constitutionum sibi iussu regis exhibitum discidit, ac insuper decem millia Ioachimicorum, Burggrauio soluere & iniuriam deprecari iussit.

Ab ea sententia, quam non solùm bona & fortunas, verùm etiam honorem & famam communitatis lædere existimabant ciues ad regiam Maiestatem prouocarunt: quæ sequenti demum anno partes Grodnam euocatas audiuit. Huius verò anni mense Ianuario, COMITIa regni POLONIæ VVarsauiæ celebrauit: in quibus, tum aliæ multæ, tum vero Sborouiorum procerum qui contra Regem & Rempublicam tetra machinati esse ferebantur, causa seuerè acta est. Prolatæ fuerant superiore anno per ministrum quendam Samuelis Sborouij, & in regis manus peruenerant literæ Christophori Sborouii ad Samuelem fratrem, in quibus de ingratitudine & injurijs aduersus

se Stephani regis & Cancellarij Zamoiscij grauiter conquestus, non se flexurum genua coram isto Baale, nec Regem hoc nomine dignum esse scripserat. Insignia quoque regia, Dentes lupinos cauillatus, canum dentes appellarat, & antea belli Moschici tempore, operam suam duci Moschorum Poloniæ hosti, accepta Lubecæ ab illius legato pecunia detulisse accusabatur: & nunc Cosaccos à Samuele aduersus Regem seditiose concitari vrsisse, sicut Epistola iussu Regis ab instigatore regio edita ostendit. Cùm autem Samuel, sub rege Henrico, ob interfectum in aula quendam Castellanum proscriptus, in regno nihilominus liberè vagaretur: iussu Zamoiscij Cancellarij & Capitanei Cracouiensis captus & Cracouiæ capitis supplicio affectus, (vt superiore anno commemoraui), fratres verò, Christophorus & Andreas, quod regis personam & vitam, seditiosis literis, consilijs & machinationibus impetijssent, ad hæc comitia citati erant.

Christophorus cùm ad VVarsauiam propius, cum magno equitum comitatu accessisset, præmonitus de periculo vitæ & supplicio certò imminente non comparuit. Andreas & Iohannes illius fratres, iure iurando

rando, se, quod nihil de ea Epistola vnquam scinerint, purgarunt. Christophorum, Regni Senatus læsæ maiestatis reum ac infamem per regni Marscalcum pronunciauit, præfectis seu Capitaneis per literas à rege mandatum est, vt vbicunque locorum deprehensum necarent. Terrarum nuncij, vt nominantur, contra has Regis actiones & Samuelis Sborouij supplicium extra regni comitia de illo sumptum protestati, & priuilegia nobilitatis ac libertatem Reipublicæ atrociter violatam questi sunt, ac multos articulos, ad frenandam regis licentiam & stabiliendas libertates Polonæ nobilitatis pertinentes, exhibuerunt. de quibus cùm resolutionem Regis auidè expectarent: Rex perinde ac si nunciorũ articulos non vidisset vel certè prorsus negligeret: alia negotia ad totius Reipublicæ & regni Poloni dignitatem & salutem pertinentia; de finitis Moschi morte inducijs, & recuperanda arce & ditione Smolensi: de Suecis & Danis ex Liuonia pellendis: de Tattaris reprimendis: de iniusta cæde Pottolodesij, legati in Turcia trucidati vindicanda: imprimis autem de concordia omnium ordinum, & publica pace & tranquillitate regni conseruanda; de muniendis finibus etc. proposuisse ac deli-

deliberari iussisse scribitur. Quare hi, cùm se deludi existimarent, interposita protestatione, ne legitimis comitijs huius conuentus acta adscriberentur, ac ne quidquam, quod hic concluderetur, ratum esset, discesserunt. In ijsdem comitijs, Albertus Bolognetus Cardinalis & Episcopus Massanensis, P P. Legatus, in publico Regni, omniumque ordinum consessu, orationem pro statu Ecclesiastico habuit(12 Febru.)qui, Religionem Catholicam passim in regno violari, & hæreses varias introduci: Iurisdictionem ecclesiasticam & gladium illius spiritualem Excommunicationem eneruari; DECIMas Clericis adimi, & contra decretum comitiorum retineri; Prærogatiuas & libertates ordinis Ecclesiastici vbique diminui; Ecclesias passim prophanari; census ornamenta, prouentus & bona Ecclesiarum spoliari; iustitiam spiritualibus vel non administrari, vel latas etiam iuste sententias suspendi, & executionem nullam consequi, multos iam annos conquestus erat. Etsi autem de decimis olim latum in comitijs decretum erat, vt illas occupatores veteribus Dominis restituerent: tamen initio belli Moschici, Executio ad alterum conuentum suspensa erat. Quam suspensionem ita Nobiles

biles interpretabantur, nullam, donec amicè inter partes in alio conuentu compositum esset, molestiam illis Decimarum nomine deinceps exhibendam esse. Contra hanc decreti elusionem, Cardinalis Bolognetus, & Goslicius, in his comitijs, apud omnes regni ordines instant, vt executioni tandem iusta sententia mandetur, nec conseruari Pacem inter ordines Regni posse ostendunt, nisi IVStitia suum cuiq; tribuens & defendens, pariter omnib⁹ ordinib⁹ administretur, iusticiaque & pax se mutuo osculentur. Hæc etsi magna contentione tum dicta & acta sunt, tamen aduersis paucorum studijs, & Nunciorum terrestrium aduersus Regis actiones interceßione, & hæc & alia Reipublicæ negotia tunc impedita, in suspenso manserunt.

Theodori Magni Moscouiæ ducis in hoc conuentu Legatis rogantibus duorum annorum pacem & inducias rex Poloniæ concessit. Liuonia Polonis & Lithuanis μῆλον ἔριδος fuit. regis sententia stetit pro Lithuanis, sed re infecta discessum est, vtrisque prouinciam totam suo corpori inseri volentibus.

Curlandicam diœcesin, à Magno duce Holsatiæ antea possessam, de qua, Daniæ

& Poloniæ reges inter se contendebant: tandem Georgius Fridericus, Borussiæ dux, in quem velut arbitrum ambo reges consenserant, eò deducit: vt persolutis à se Daniæ regi triginta millibus Ioachimicorum, in feudum ipsi à Poloniæ rege attribueretur. Itaq; mense Iulio Daniæ regis nomine quidam legatus, subditos diœcesis à iuramento Daniæ regi præstito liberauit & Poloniæ regi tradidit. Cuius in Liuonia locum tenens Georgius Radeuilius Cardinalis, vicissim Georgium Fridericum Borussiæ administratorem, in possessionem diœcesis instituit.

Cùm inter Suecos & Moschos inducia triennales ad finem decurrerent: missi vtrinque ad fines legati, cùm de pacis perpetuæ conditionibus conuenire non possent: Quadriennij Inducias pacti sunt: Suecis omnia quæ in Liuonia & Russia, superiori bello occuparant, retinentibus. alter etiam conuentus ad 20 Iulij anno sequenti indictus est, vbi de firma & perpetua pace denuò tractataretur. Quæ si non coiret: nihilominus Iuduciæ quadriennales ratæ manerent. Sueciæ regis legati, Nicolaus Achatij, Pontus dela Gardia, Nicolaus Bielke, Christiernus Gabrielis, Turo Bielke, Carolus Henrici & cæteri, cùm in reditu ad Neruam

uam fluuium veniſſent, die quinta nouembris, nauiculam annoſam, à Ruſſis olim extructam, cum toto comitatu, tàm nobilium quàm plebeiorum conſcendunt, & aliquot machinas campeſtres naui imponunt, quibus medio fluuio, iam traiecto, explosis, Nauicula ex machinarum tonitru vel aliunde fatiſcens frangitur, ita vt 18 homines, ac in his præſtantiſſimus Heros & celeberrimus in hoc orbe Arctoo, & fortis ac felix exercituum regni Sueciæ Imperator, Dominus Pontus de la Gardia, aquis ſuffocati, perierint. Hic fortiſſimi Ducis, cuius virtute & felicitate, regni Sueciæ fines longè lateque verſus ortum propagati ſunt, exitus, magnitudine rerum ab ipſo geſtarum indignus fuit. Interijt etiam conſul Reualienſis Bartholemæus Rotert, vir prudens, & magnæ in ea republica autoritatis, & aliquot alij nobiles & plebeij. Proceres cæteri præſentem mortem euaſerunt. Poloniæ regis commiſſarij, ad dirimendas cum Sueco de Liuonia diſſenſiones, Parnouiam miſſi, diu Suecos fruſtra expectarunt, ijſque iuſto diutius, proper Ruſſicum colloquium emanentibus, in Poloniam non ſine magna indignatione redierunt.

IOANNES III. Sueciæ rex, Gunillam,

nillam, præcipuæ nobilitatis virginem, pietate & ingenio præstantem, Ioannis Bielkij filiam, Axilli neptem, Erici proneptem, Turonis abneptem, mense Februario, coniugem duxit.

Christianus.

Ioannes
|
Ericus
|
GOSTAVVS Sueciæ Rex
|
IOANNES III. Sueciæ rex, cuius altera coniunx

Carolus
Ericus
Ebba, vxor Erici Arahami à Laholm

MARGAR Ita, altera Gostaui coniunx

ANNA vxor Axylli Bielke,
|
Ioannes Bielke.
|
GVNILLA.

STENO Erici

Axyl- Malus urici- Gub. us. Finl.

Ioannis Sueciæ regis, ex sorore Anna Maria neptem, Georgij Ioannis Palatini filiam, Vrsulam, LVDoicus dux VVirtebergensis, Christophori optimi principis filius, secundo coniugio sibi 10. Maij iunxit, quod secundum ipsi & salutare esse, & hæredem Ducatus, patri similem, ex eo nasci, omnes boni, subditi, & alij in multis gentibus, optant.

Vrsu-

Vrsulæ etiam consobrina, Anna, Ezardi Frisiæ principis & Catharinæ Suecæ filia, Ludoici electoris Palatini vidua iuuencula: Ernesto Friderico, marchioni Badensi, Caroli filio, exeunte anno, nupta est.

Pro captiuo Saxoniæ principe Ioanne Friderico, plerique Imperij principes, cum Daniæ rege, apud Imp. per legatos mense Martio Pragæ interceſſerant, vt ex diuturna octodecim annorum custodia tandem liber dimitteretur. Etsi autem verbotenus assensit Imperator: tamen formam cautionis, à captiuo principe præstandæ, talem præscripsit, vt ille ad finem vitæ in custodia durare, quam tali modo liberari maluerit.

HENRicus archiepiscopus Bremæ Osnaburgæ & Padebornæ, Dux Saxoniæ, Francisci senioris filius, princeps virtute, prudentia, humanitate, doctrina & pietate præstans, vigentis adhuc ætatis anno 35. ex his terris euocatus est 20 April. cùm decendio antè, Gregorius XIII. P.P. Hugo Boncampagni antea dictus, anno ætatis 80. Romæ defunctus fuisset. cui Felix quidam Calaber, Franciscani ordinis, Cardinalis de monte alto, succeſſit. qui SIXTVS V. nominari deinceps voluit.

BRE Mense Collegium, vt incolumitati

tati diœcesis grauatæ rectius consuli in interregno posset: principem adolescentem, Ioannem Adolphum, Adolphi Holsatiæ ducis filium, eligit, eique certam pensionem quotannis attribuit, donec reparatis castris & prædijs, ante multos annos oppignoratis, adultus ad gubernationem diœcesis admittatur. PADEBORNensi diœcesi, Theodoricus à Furstenberg, gubernandæ præpositus est, qui Calendarium Gregorianum subditis statim obtrusit, & Pontifici nouo Religionis Iuramento se obstrinxit.

OSNABVRGenses, præteritis omnibus prehensatoribus, quorum nouem fuisse affirmant, elegerunt GVLIELmum Schencking, ecclesiæ suæ Decanum, & Monasterienſis Canonicum, virum humanum & prudentem, alioquin tectum & Pontificiæ religioni addictiss. Sed quòd valetudine esset iam afflictiore, quinto post electionem die, 24 Iulij, præter omnium expectationem in fata concessit, & quatriduo post splendidè & episcopi more humatus est. Natus erat ex familia domus Beueren in diœcesi Monasterienſi, patre Henrico Schencking, matre Elisabetha Frisia. in prima ætate studijs literarum, Monasterij, & Coloniæ medio-

diocriter excultus, Lutetiam quoque adijt, cùm ſtatuto collegij Mon. nemo Canonicus eligatur niſi per annum in Gallia, vel vltra montes in Italia egerit. à fratre Iohanne, Decano Monaſterienſi, vt in Collegio illo reſideret inuitatus: Oſnabrugi viuere maluit, vbi celeri gradu, ad Cantoris, Decani, Præpoſiti ad D. Ioannem dignitates aſcendit, & propter ſapientiam, moderationem, induſtriam & felicitatem in componendis amicè, diſſidentium controuerſijs, Illuſtriſſimo principi Duci Saxoniæ Henrico, epiſcopo, & omnibus diœceſis ordinibus, cariſſimus erat. Monumento inter cæteros inciſi ſunt verſus.

Magna viri magni fuit experientia rerum,
Conſilijs paucos inueniasq; pares.
Fulſit in his pietas, hæc ſunt cœleſtia dona,
Quæ DEVS in terris non ſinit eſſe diu.

Ab eius obitu fermè ijdem principes & comites, qui ante, Epiſcopam ambiuere. ſed præter multorum expectationem poſtularunt collegæ BERNARdum comitem à VValdec, Canonicum Colonienſem & Argentinenſem, 25. Octobris, qui in proximis Canonicorum vtriuſq; diœceſeos diſſidijs ac tumultibus, etſi Auguſtanæ Confeſſionis doctrinam, in qua educatus erat, magis probabat,

babat, tamen à turbulentis consilijs & factionibus vtrinq; abstinuerat. & plerisq; Saxoniæ comitibus, nec non Landgr. Hassiæ & Iuliacensi duci, adfinitate & amicitia iunctus, propatruum suum Franciscum, qui ante quinquaginta annos, Anabaptistas Monasterij grassantes fortiter & feliciter represserat, Heroica corporis magnitudine referebat. Quorum propinqua agnatio, vt oculis subiecta conspici à lectoribus propius possit: partem Genealogiæ comitum VValdecensium adscribo.

Henricus Ferreus comes à VValdec, vrbem Corbachium anno 1366. sibi parere coegit.

HENRICVS, anno Christi 1400. Fridericum Ducem Bruns. electum Imp. ad Frislariam interfecit.

Henricus patrocinio Ludoici Hassiæ principis se subiecit 1428.

VOLRADVS præfectus Frislariæ.

Philippus senior			*Philippus iunior*
Georgius.	Philippus, *vxor Anna filia*	*FRANCISCVS Episcop. Monast.*	*Henricus*
		♃	*Philippus*
			♂



In vicino etiam diœcesi Osnabrugensi comitatu DEIPHOLD, insignis hoc tempore mutatio accidit. Fridericus enim comes à Deiphold, Rodolphi filius; Friderici, cuius supra in belli Hildesiensis historia mentionem feci, nepos: postremus in hac familia, sine liberis maribus, has terras reliquit, 21. Septemb. Cùm autem comitatum illum, antiquitus Romani Imperij be-

neficium, à Francisco duce Brunſ. ep. Mindenſe aſperè vexatum, & armis hoſtiliter oppugnatum: Fridericus comes, poſtremi auus, Henrico duci Luneburgenſi, defenſionem illius ſuſcipienti, ſubieciſſet: nunc quoq; VVilelmus ſenior dux Luneburgenſis, feudum illius comitatus, ad occidentalem Viſurgis ripam, inter Monaſt. Mind. & Oſnabrug. diœceſin interiecti, vacuum occupare dicitur. tametſi filiæ comitis relictæ, cui patrocinium & tutelam auunculus Bernardus, Oſnabrugenſis epiſcopus & alij fideliter præſtant, vſum fructum ditionis deberi, quidam diſputant.

MAGDEBVRgenſi Ciuitati, cum archiepiſcopo, iam inde à religione primùm emendata, controuerſiæ de Iuriſdictione eccleſiaſtica & politica, & munitionibus, ac porta vrbis, templo Cathedrali & domo epiſcopi contigua, per quam archiepiſcopus quocunq; tempore olim ingredi ac egredi poterat, graues interceſſerant, Quæ, electorum Sax. & Brand. interceſſione, 8. Septemb. compoſitæ ſunt. Vt ciuitas, liberum Religionis Auguſtanæ Confeſſionis exercicium: Ius vocandi ac conſtituendi miniſtros eccleſiæ, & Rectorem ac cæteros collegas in Schola; totamq; inſpectionem & gubernationem

tionem Parochiarum, Scholæ, Cœnobiorum, sicut iam possidet, saluam & incolumem retineat. Iurisdictionem verò in causis matrimonialibus, archiepiscopo, qui solus eam olim administrauit, hac conditione Senatus restituit, vt officialis archiepiscopi deinceps iudicio matrimoniali præsideat, cui certas personas ex senatu & ministerio Consules adiungunt. quæ, non præcise iuxta canones Pontificios, sed vsitatas in ecclesijs August. Confess. Consistoriorum leges pronuncient. Quod si inter archiepiscopi & Senatus assessores de sententia non conueniet: Acta, alijs Consistorijs Augustanæ Confessionis, dijudicanda, mittantur. De citationibus etiam ciuium, Examine Testium, & Appellationibus, æqua & vtriq; parti tolerabilia media definierunt. PORtam archiepiscopo, siue interdiu, siue noctu ingredi velit, rursum patefacit senatus, ita vt clauium portæ custodia penes senatorem certum maneat, & Vigil portæ à senatu constituatur, qui archiepiscopo & senatui iuret, se vtriq; parti ingressum & exitum liberum quocunq; tempore interdiu ac noctu, si opus sit, sine alterius partis incommodo daturum esse. ita tamen, vt nulli consiliarij alijué ministri, nisi archiepiscopi vel administra-

nistratoris persona præsens sit, intromittantur.

MONASterienſem episcopam, cùm Ioannes VVilelmus, ducis Cleuensis ac Iuliacensis filius, vltra decennium rexisset, resignata collegio dignitate, IACobam, Philiberti Marchionis Badensis filiam: Bernardi neptem: Ernesti, Iacobi, Georgij Friderici fratrum sobrinam; in Bauariæ ducis aula educatam, vxorem duxit. nuptijs die 6. Iunij Dusseldorpij celebratis. Diœceseos verò Monast. amplæ & potentis Imperium Canonici seniores, Ernesto Bauariæ duci, Alberti filio, archiepiscopo Colonienſi, Leodienſi, Frisingenſi, Hildesienſi, refragantibus cæteris ordinibus tradiderunt.

NOVEsium, ecclesiæ Colonienſis oppidum ad Rhenum, astu & industria Adolphi comitis Morsenſis, Gebhardo archiepiscopo exuli fauentis occupatum 25. April. direptum, ac diutius anno defensum est. Paulò ante BVSCumducis, Brabantiæ oppidum insigne, quod in clientela & fide regis sui, toto hoc postremi belli tempore manserat, Duces aliquot copiarum comitis Hoenloensis mane ex improuiso interfectis vigilibus & exploratoribus emissis, adoriuntur, & occupata porta in forum vsq; perueniunt, sed

sed virtute Hautepeni præfecti militum & ciuium repulsi, & clathris in porta deiectis, cùm exitus nullus patêret miserè trucidati sunt, ac inter cæteros Ferdinandus etiam Truxesius, Gebhardi frater, desideratus, & cum gregarijs suspensus est. sed hunc agnitum statim sepelierunt.

ANTVERPIA, Brabantiæ vrbs, Belgiæ ac Europæ totius emporium splendidissimum, postquam Alexander Farnesius, Parmæ dux, regis Hispaniarum legatus, totum ferè annum Scaldis fluuij nauigationem ipsi intercluserat: tandem fame, & vulgi pacem flagitantis tumultibus coacta, ad regis Hispaniarum obedientiam redijt, & Duci Parmensi, regis legato, se 7. Augusti, mediocribus conditionibus dedidit. Cùm enim Hispanorum præsidia, in vicinis vrbi oppidis, Lyræ, Bredæ, & cæteris excubantia, omnem itinerum securitatem, & commeatuum importationem à terra, toto iam triennio impedijssent: fluminis tamen Scaldis beneficio, nauibus omnia ad victum & defensionem necessaria, ipsis mediocriter suppetebant. Quare vt fluminis vsum ipsis adimeret Parmensis, dum adhuc superiore anno Flandriæ metropolin Gandauum castellis cinctam obsideret: cum parte exercitus

& tormentorum ad Scaldim fl. die 9. Iunij acceſſit. ac primùm magna vi caſtellum Lillo oppugnauit. Quod tamen ſtrenuè tum Antwerpienſes defenderunt. Locum itaq; paulò ſuperiorem, duobus infra Antuerpiam milliaribus, ORDAM, in Brabantica Scaldis ripa elegit, quo exercitum ex Flandria transferens, & vallum extruens, plurimaq; tormenta bellica in ripa collocans, crebris ictibus naues Antuerpiam verſus eũntes petebat. Eâdem opera caſtellum Lieskenshoeck, ſitum ê regione Lillo, quod Antuerpienſes tenebant, continuè oppugnatum cepit. Plura præterea caſtella prope ripam fluminis extruxit: & Callo, in ripa Flandrica ſitum; è regione Ordami muniuit. Cuncta etiam hæc tàm minora quàm maiora caſtella tormentis bellicis æneis repleuit, conatus eo modo impedire, ne nauis aliqua Antuerpiam peteret. Verùm nihilominus nautæ, aſſueti iam machinarum ictibus, plures quotidie, hoſtibus inuitis Antuerpiam perueniebant. Quò, Idibus Nouembris, Dux Parmenſis literas hoc exemplo miſit. Videtis quotidiè ô ciues & animaduertitis, quàm miſer ſit veſter ſtatus: neminem inter vos habetis principem locum obtinentem, qui non ſuo commodo

ſtudeat,

ſtudeat, cum incommodo & detrimento omnium ciuium. Vidiſtis principem Vraniæ, dum in viuis adhuc ſupereſſet, in hoc ſemper fuiſſe, vt ſubditos ſuos intricaret modis omnibus, neq; vnquam tentaſſe ciuitatem aliquam obſidione liberare. Quo nam modo Galli vobiſcum agere decreuerint, vos non latet. At Deo opt. Max. ſic viſum fuit, vt ambo illi ex hac vita diſceſſerint. nunc tandem oculos conuertite, & cum Domino veſtro rege redire in gratiam ſtudete. pollicetur enim ſe vos recepturum in ſuam tutelam, & nunquam reuocaturum in memoriam, quamuis grauiſſimè illum offenderitis. Quod ad me attinet: promitto & ſanctè iuro, me tolerabilibus conditionibus vobiſcum acturum, imò nihil non conceſſurum. ſi modò quæ propoſueritis, & petieritis, rationi aliquo modo conſentanea ſint. At ſi nullo modo hæc facere decreueritis: proteſtor ego coràm Deo & hominibus, me nullo modo eſſe cauſam internecionis, malorum, & ſanguinis profuſionis, quæ (niſi meis monitionibus aures præbueritis) vt eueniant omninò neceſſum eſt. hac de cauſa, non ſolùm magiſtratui, ſed & ciuibus cunctis haſce literas ſcripſi. Ex caſtris Staſbroekanis.

Antuerpienſes viciſſim: Literas tuas recepimus, Domine princeps, & (vt breuiter dicamus) videtur nobis Cl. T. cauſſam belli noſtri non rectè intellexiſſe: maximè ſi conſideres, quonam modo nobiſcum egerint Gubernatores & principes noſtri priores: nempe vt nos priuarint noſtris priuilegijs, inauditis & hoſtilibus nos prementes perſecutionibus: acceſſere innumera adhuc alia, vt bonorum proſcriptiones, exilia, diſputationes igneæ & ferreæ. Quæ omnia in miſeros ciues perpetrarunt, nullam admittentes illorum iuſtam excuſationem: verùm hoc tantum nomine ſupplicio illos dignos iudicantes, quòd vnum verum Deum Chriſtum pro ſuo Mediatore & adiutore inuocaſſent. Ethanc ob cauſam in plurimis ciuitatibus arces extruxêre, aliaq; inaudita & intolerabilia illis onera impoſuêre. Rogamus Cl. T. ne vllo modo ſibi perſuadeat, nos bellum animi gratia ſuſcipere, nec quoq; principem Vraniæ, vt illud ſuſciperemus, authorem fuiſſe. Nam ille iuſſu & conſilio omnium nobilium totius Belgiæ vocatus fuit. De pace quod nobiſcum ſe velle agere Cl. T. promittat: maiori profectò eam ob cauſſam apud nos authoritate vales. neq; nos huc vſq; diſtuliſſemus, ſi in tua manu ſitum eſſe

certò

certò sciremus, nobis concedere illud, propter quod bellum primùm ortum inter nos & regem, nempe religionis liberum vsum. quum nos minimè lateat, Regem ipsum, pro arbitrio pontificis, & illorum, qui se inquisitores dicunt, cogi viuere. adeo vt in illius manu nullo modo situm sit, vt vel illud nobis concedat, quod ipsis Turcis & infidelibus libenter concedunt. Verùm Rex infinitis persecutionibus nos pressit, bellum nobis intulit, quod sustinere in hunc vsq; diem coacti fuimus. Et quamuis diuersi reges & imperatores, annis abhinc viginti, pro nobis apud illum iteratis vicibus interceſſerint, nihil tamen ab illo impetrare vllo modo potuimus. quæ res nos impulit, vt extraneorum principum & Gubernatorum auxilium & opem implorare coacti fuerimus. Sciat præterea Cl. T. nos tantummodo vnicum esse membrum omnium prouinciarum, quibus iuramento obstricti sumus, & absq; illarum consensu & authoritate nihil statuere ea de re posse. Nihil præterea certi vllo modo constituere possumus, nisi prius implorata authoritate & voluntate Christianissimi Regis Galliæ (cum quo pactum inire libenter & ex animo cuperemus, eamq; ob causam iam dudum illi ali-

quas conditiones proposuimus) ne illius maiestati ansam præberemus, vt nos leuitatis posthac iure & meritò posset insimulare. Quod ad protestationem attinet, quam Cl. T. affert sub finem epistolæ: Rogamus, hoc tibi certò persuasum habeas, nos nulla alia de causa, bellum sustinere, nisi vt coniuges, liberos, deniq; patriam sartam tectam conseruemus, veram religionem retineamus, Christum Dominum nostrum pro vnico mediatore agnoscamus. Rogamus præterea Cl. T. illam spem de nobis concipiat: nos virtutes tuas magnifacere, & optare nobis tribui aliquam commoditatem, vt tibi gratum officium præstare possimus, saluo iuramento, & salua conscientia nostra. Hisce te, Cl. Princeps, Deo opt. Max. commendamus. Datum 23. Nouembris.

Dux Parmensis videns Antuerpienses in proposito gerendi belli manere, & Gallica auxilia denuò expectare: acriùs & vehementiùs eos vrgere instituit. Itaq; ad castellum Ordam, palos multos fundo infixit, tùm vt aditum nauium eo modo impediret, tùm vt commodius tormentis suis bellicis vti posset. At nautæ nihilominus ventum prosperum nacti Antuerpiam perruperunt. Quare funes siue rudentes nauticos princeps

ceps ab vtraq; parte fluuij, palis istis alligari mandauit eo ipso loco, quo postea pontem extruxit. Attamen non multò post duæ naues iumentis & precoribus oneratæ, quum ad eum vsq; locum peruenissent, nautæ securibus alijsq; instrumentis ferreis, funes istos infregerunt, incolumesq; Antuerpiam penetrarunt, qui magna cum admiratione, & non minori applausu, à ciuibus fuêre excepti, & à magistratu insuper pro re benè gesta, muneribus ornati. Antuerp. etiam hac occasione animum sumentes, in Hispanorum castra nauibus erumpentes, magnum Hispanis nauibus damnum intulerunt. ac milites Hispani, qui castella in aggere extructa inhabitabant, lue pestifera plurimos absumente, eum in modum indies imminuebantur, vt Parmensis nouas suppetias illis afferre cogeretur. Tandem dux Parmæ, vt omnem Antuerpiensibus commeatum, & fluminis vsum intercluderet, mense Ianuario 1585. primùm circa castellum Callo, fundo infigi iussit ab vtraq; fluuij parte, palos, quibus pons ab vtraq; parte inniteretur. Cum autem eousq; peruentum esset, vt pali illi nimia profunditate amplius fundo inhærere non possent, quod superesset spacium platis obduxit (quod est genus nauí-

nauigij latum magis quàm altum & à latitudine sic appellatum) quæ intertextis funibus & catenis firmiter alligauit, vt alia alijs hærerent. rudentes longos præterea platis istis alligauit, ex quibus anchoras suspensas vnà cum lapidibus fundo iniecit, ita vt naues, tàm ab anteriore, quàm posteriore parte funibus & rudentibus alligatæ velut infixæ fundo immotæ consisterent. & quamuis inclementioribus quibusdam hibernis tempestatibus operæ interdum turbatæ & instrumenta quædam & platæ perierint, nihilominus tamen mense Februario operi finem omni ex parte imposuit. Porrò longitudo pontis, spacium 2000. pedum in se continebat. Illa verò pars media, quæ platis innatat, mille pedum longitudinem excedebat. Et quamuis ab vtraq; pontis parte extensæ essent plurimæ trabes, ferro acuminatæ, ne nauis aliqua pontem attingere posset: metu tamen ne Antuerpienses excursionem facientes, cuncta hæc vi perrumperent, procul à ponte, truncos multos triangulari forma confectos, aquæ iniecit, quæ etiam aditum nauium impedirent. Et si quando aliqui ex istis truncis rapido fluuij cursu auferrentur, statim in illorum locum alios substituit. Huic operi princeps Parmen-

mensis ipse, vel legatus illius, ἐργοδιώκτης semper adfuerunt. Hollandi & Zelandi huc vsq;, ob Torlonij Amyralis cunctationem impediti, tandem exeunte Martio liberare obsidione Antuerpiam conati, collectis copijs, nauibusq; instructis, terra & aqua castellum Lieskenshoeck oppugnatum, & arcem Antonishoeck occuparunt, ac vicum Beueren, in quo paucas ante horas Parmensis cum suis fuerat, cremarunt. Antuerpiâ etiam naues emissæ sunt, quæ puluere tormentario, & lapidibus oneratæ, intrinsecus calce vndequaq; incrustatæ, ad castra Hispanorum vsq; appulêre. è quibus duæ statim dissolutæ nullum hosti detrimentum intulerunt, tertia quum primo ictu excitati plurimi è castris spectaculi & defensionis caussa confluerent: postquam ignis intrinsecus latens puluerem nitrosum attigisset, incensa tota nauis, magna vi, magnoq; impetu, lapides, ferrum, &c. proijciens, vno ictu: partem è ponte, vnà cum quatuor nauibus confregit: insuper plus quàm quingenti ex spectatoribus, inter quos Casparus Roblesius Coronellus Groningensis, & frater Dominus de Bourste: quem le Viconte Dugant nominant, alijq; nobiles & capitanei partim interfecti, partim læsi sunt. Postea

ſtea Hollandi aggerem Conuentſteindyck, vi occupare ac perfodere tentabant. Ab alia parte Antuerpienſes, naui ſua Duyuelmoer: quæ ex multis ſimul iunctis platis, inferiori parte lignis & arboribus compacta & circumquaq; dolijs cincta erat, ſuperius impoſito aggere ſiue propugnaculo, tormentis æneis grandioribus negocium faceſſere hoſtibus conabantur, ac die 16. Maij, Hollandi & Selandi aggerem occupatum aliquot horas tenuerunt. Antuerp. etiam ex vrbe erumpentes, ab altera parte hoſtem adoriebantur. ac conſul Philippus Adelgundis, & comes Hoënloenſis, ex prælio in vrbem recurrentes, nuncium victoriæ lætiſſimum ciuibus attulerunt. qui mox in triſtiſſimam lamentationem & planctum conuerſus eſt. Nam Hiſpani collectis animis, impetu acerrimo, in hoſtes, iam penè victores inuecti, plurimos ciues ac nautas Antuerpienſes, inprimis verò magnam Hollandorum & Selandorum multitudinem trucidatam de aggere iam occupato deiecerunt, & nauibus pleriſq; potiti ſunt. Hac luctuoſa clade fracti Antuerpienſium ciuium animi, cùm nulla vel à rege Galliæ, vel alijs auxilia, ſolicitis animis fruſtra expectata, ſupereſſe viderent: ad pacem qualibuscunq; conditio-

ditionibus, modò non prorsus iniquæ ac intolerabiles essent, cum Parmensi faciendam, conuersi sunt. & iam Mechlinia quoq; 9. Iulij Parmensis præsidium receperat. Etsi igitur consules & magistratus, reformatæ religionis hominibus potissimùm constans, & militum duces, quibus solis, gentium & vrbium calamitates in bellis lucrum adferunt, pacem dissuadebant, & ab Angliæ regina opem ac defensionem expectari vellent: tamen communitas ciuium reliqua, tot annis se inani auxiliorum promissione ludificatam cernens, perpetuis clamoribus ac tumultibus pacem poscens, tandem obtinuit, vt de tolerabilibus reconciliandi Regis medijs tractatio cum Parmensi susciperetur. Qua, die 7. Augusti tandem concluſa: postridie, Carolus comes Arenbergius, Parmensis legatus, cum 500. equitibus & 2000. peditibus vrbem ingressus, nomine Regis Hispaniarum occupauit.

Conditionum deditæ vrbis Antuerpiæ, & reditus in gratiam cum rege Philippo, præcipua capita sunt. Cùm ciuitas & ciues Antuerpienses supplices rursus se subijciant Regi, vt Duci Brabantiæ & naturali Domino suo, eadem ratione, qua prius subiecti fue-

fuerunt: Rex viciſſim, omnium præteritarum offenſionem ἀμνηστίαν ſanciens, clementer eos in gratiam recipit, eosq; vt fideles ſubditos paterna beneuolentia deinceps complectetur: & omnia ac ſingula priuilegia tàm generalia, quàm ſpecialia, quibus ante hos motus legittimè fruebantur, deinceps etiam concedet. dabitq; operam, vt priores confœderationes & pacta cum imperio & alijs prouincijs, quod ad negociationes & commercia attinet, ſeruentur. Nec vlli velpriuato, vel in publicis officijs ſub archiduce Matthia, duce Andio, & alijs verſato, ob quoſcunq; exceſſus, crimina læſæ maieſtatis, vel alia, occaſione horum motuum patrata, moleſtiam exhibere; nec officiarios, ob vllas conſtitutiones, rationes, ſententias, officij ratione latas, in ius vocari aut in eos inquiri vel exprobrari licebit. niſi in priuata ſua commoda & proprios vſus aliorum bona tranſtulerint. Omnes etiam proceſſus, ſententiæ, literæ, gratiæ, in concilio Brabantiæ & alijs iudicijs datæ, inter præſentes & iuriſdictionem illorum approbantes, ratæ erunt. Saluo tamen remedio reuiſionis, appellationis, &c. Exules quoq; & proſcripti ex alijs vrbibus regi reconciliatis, vel Antuerpiæ manere, vel

vel aliò cum bonis migrare poterunt, modò arma non resumant, nec aduersus regem quidquam machinentur.

Omnes Antuerpiæ ciues, præsentes & absentes, liberè suis bonis sub regis imperio sitis vtentur ac fruentur, non obstante vlla confiscatione vel alienatione, per Albanum, alioſué præfectos regios facta. Ciuibus, qui reformatam religionem sequuntur, quadriennium adhuc tutò & liberè in vrbe manere, vel discedere, & de bonis suis, pro vt ipsis commodum videbitur, disponere, eaq; proximis hæredibus relinquere licebit. Exhæredationes verò aut donationes, ex odio religionis, vel horum motuum prætextu, in aliorum fraudem factæ, pro irritis habebuntur. Monetæ aureæ & argenteæ, in valore nunc vsitato: & TRIbuta Reipublicæ imposita, vt ciuitatis debita, obligationes, & annuæ pensiones solui facilius possint, manebunt.

Omnes prælati, Collegia, Cœnobia, Nosocomia, omnes laici & ecclesiastici, qui à regis partibus fuerunt, in sua bona, actiones, creditiones, reditus, integrè restituentur. Templa diruta ciuitas reædificabit.

Antuerpienses, omnia tormenta, munitiones, & naues bellicas, in manus Ducis Par-

mensis tradent, ac insuper quadringenta millia florenorum pendent, vt stipendia militibus, anno diutius vrbem obsidentibus, persolui commodius possint. Quod si Hollandi & Selandi ad pristinam Regis obedientiam statim redibunt: nullam se arcem in vrbe extructurum, neq; militibus eam oneraturum promittit. Captiui vtrinq;, excepto Dn. de Tillignij, dimittentur. Philippus Dn. de Adelgundis, in Hollandiam proficisci cupiens, hac coditione dimittetur, si iurabit, se intra proximi anni spacium arma contra regem non sumpturum esse. Hæc omnia, vt à rege Philippo, per literas patentes, propria regis manu subsignatas, & sigillo magno suæ Maiestatis munitas, confirmentur, intra quatuor menses dux Parmensis curabit.

Qui, decimo post hanc transactionem die, Natali suo, vrbem ingressus, machinas in arcem transtulit: eamq; petentibus ciuibus, vt molestijs alendorum militum insolentissimorum, qui in præsidio erant, quotidianis liberarentur, instaurauit: & in vrbe commorans, nihil hoc anno memorabile præterea gessit. Cùm quidem ELISabetha Angliæ regina, receptos in tutelam & defensionem suam Hollandos & Selandos, missis

missis circiter 10000. Anglis iuuaret: & vrbes maritimas regno suo oportunas præsidijs muniret. Consilij sui causas Angla publico scripto declarat, non solum antiquæ populorum Belgici à præfectis Hispani tyrannicè oppressorum, & Anglorum, fœdera ac commercia: verùm præcipuè insidias sibi ac regno suo, per Hispanos Hiberniam tentantes, & legatum Bernardinum Mendozam, cum proceribus aliquot in Anglia, & exulibus in Belgico & Gallia, occultas machinationes struentem, intentas. quas non alia ratione commodiùs arcere possit, quàm si à vicinis Angliæ prouincijs ac portubus hostes arceat. sicut Gallos ante 25. annos regno suo insidiantes, illiusq; titulum iam vsurpantes, missis in Scotiam auxilijs auerterit. Præterea, Franciscum Dracum Anglum, virum nobilem & rei naualis peritissimum, in mare Atlanticum, Angliæ regina misit, vt aduenientem ditissimam classem ex Peruanis insulis, interciperet. deinde in Indiam nauigans, & certa parte, arcem in ea erigens, ad receptum suorum muniret, prouincias in India inquisiturus nouas: & Hispanis, si possit, erepturus. Is die 12. Septembris Plimmutho occidentali Angliæ portu soluit. Cæteris etiam

singulis suis portubus Angla imposuit præsidia aliquot naues militares, & ad Iccium portum quatuordecim armata nauigia, quibus transitum in Hispaniam traiecturis, impediat. Edicto præterea sanxit, ne quis ê suis subditis eat in Hispaniam sub pœna capitis. Externos, qui inde veniunt, aut eo eunt, iure belli capi iubet. Edictum illud Londini promulgatum fuit die 22. Sext. Cùm hæc faceret, putabatur habere principes qui fœdere essent coniuncti. in primis Scotiæ regem, quem sibi conciliauit, veteribus sopitis dissensionibus. & Daniæ regem sibi coniungere nitebatur. Cum ea deniq; fœderatus erat rex Nauarræus. Metuebant enim proceres reformatæ religioni in Anglia addicti, si rex Belgicum recepisset, Anglæ, quæ Belgicum bellum aluit, bellum inferret, & eorum vires, ea in ordinem redacta, pessundaret. Oportere igitur, ne hoc accidat, regem perpetuo bello domi inuolui. Hæc vera esse continuati ab Anglis in Belgico belli causa existimatur.

Neomagum interea Geldriæ metropolis, & Drusoburgum, vulgo Duisburg, eiectis ordinum præfidijs, ad Philippi regis obedientiam redierunt.

Sed in Saxoniam nobis propiorem redeo,

deo, in qua, HENRICVS IVLIVS Dux Brunſuicenſis, Iulij filius, Halberſtadenſis ac Mindenſis eccleſiarum epiſcopus, cum Dorothea, Auguſti Saxoniæ electoris filia, nuptias in arce Guelphorum, abſentibus ſponſæ parentibus, 26. Septembris celebrauit. Sponſæ mater, Anna, Chriſtiani III. Daniæ regis filia, lyenteria, cibi faſtidio, vomitu aſſiduo, ἠ ἀτροφία, aliquot iam menſes languefacta, paucis poſt filiæ nuptias diebus, ex hac vita, anno coniugij 37. emigrauit Calendis Octobris, Quam maritus elector Auguſtus calendis Nouembris Fribergam deferri ac condi curat: & paulò poſt Agnetem Heduuigem, Ioachimi Erneſti Anhaldini & Eleonoræ VVirtenbergicæ filiam ſibi deſpondet.

SIMON etiam Lippienſis comes, Bernardi filius, tutor & nutritius eccleſiæ & ſcholarum munificus, & vnicum familiæ illius columen, Eliſabetham, filiam Ottonis comitis Holſatiæ & Schaunburgenſis, & Eliſabethæ Vrſulæ (Erneſto duce Lunæburgenſi natæ, Vilelmi ſororis) ſecundo matrimonio ſibi copulauit Idibus Nouembris. ex qua, ſequentis anni 1586. die 21 Septembris, Filius ac hæres ipſi natus eſt BERNARDVS. cùm mater puerperæ, filiam

partui propinquam inuisens, paucis ante diebus, Detmoldi, vitam in terris suam clausisset. Nato filio, ditionis Lippiensis hærede, Simon pater, vt gratum se Deo, ob donatum filium, declararet: decem millia Ioachimicorum ecclesijs sui comitatus vicissim donauit, ex quorum reditibus, stipendia pastorum, tenuius se alentium, augerentur.

Cùm Henricus Iulius, Saxonica vxore ducta, Mindensem Episcopam, vt conuenerat, collegio resignasset: pater dux Brunsuic. alterum filium, Philippum Sigismundum, recipi petit. Quem non prorsus recusat collegium, modò dux Brunsuic. præfecturas aliquot comitatus Hoyensis, quas sibi vigore antiquarum transactionum deberi affirmabant, restituat. Cùm autem diutius deliberandum Brunsuic. censeret, & tempus electionis Canonibus definitum, interea effluxisset: archiep. Colonien sis, Ernestus Bauarus, missis legatis, confirmabilem in curia Romana designari petit, ac se ipsum non obscurè collegio commendat. Quod cùm non obtineret, postea legatus pontificius Franciscus Bonhomius episcopus Vercellensis, Collegium Mindense Aquisgranum citat, ad videndum & audiendum

dum declarari: quia iusto tempore Episcopum non elegissent vel postulassent, electionem hac vice ad Ernestum archiepisc. Colonien sem & Metropolitanum deuolutam, vt is episcopæ de habili persona prouideat. Collegium verò, libertatem electionis suam, à prædecessoribus acceptam, retinere cupiens: vicinorum Mindæ comitum Schaunburgensium fratrem, ANTONIVM, præpositum Hildesiensem & Decanum Colonien sem, sibi episcopum creat, & 28. Augusti, Mindæ in summo templo publicè renunciat 1587.

IN GALLIA, nouum aduersus Henricum Nauarræ regem, Antonij filium, ac omnes illi confessione doctrinæ coniunctos reformatæ religionis homines, quos Hugenottos (ad portam S. Hugonis Turoni ad exercitium suæ religionis olim conuenientes) primùm nominarunt: Belli incendium exarsit. Carolus enim Cardinalis Burbonius, Caroli filius, Henrici regis Nauarræ patruus, vt proximus regij sanguinis princeps: Henricus Guisius, Francisci filius, Lotharingus: & alij confœderati Pontificiæ religionis propugnatores, cum rege Henrico III. hæredem regni nullum suscipiente, Successionem coronæ Gallicæ ad

Henricum regem Nauarræ, Antonij filium, Caroli Cardinalis Burbonij ex fratre nepotem, pertinere viderent: conscriptis copijs, & occupatis aliquot vrbibus, causas suscepti à se belli publico programmate exponunt, vt catholicam Romanam Religionem, in regno Galliæ, ab alijs diuersæ confessionis oppugnatam, conseruent ac tueantur, & Ecclesiam in pristinam dignitatem restituant. Deinde, vt decedente absque liberis Henrico III. Catholicum regem, non Hæreticum, habeant. neq; enim teneri ordines Galliæ ad obedientiam regi, à Catholica Romana religione desciscenti: cùm primùm rex in coronatione Iuramentum præstet, se catholicam Apostolicam Romanam religionem solam tueri velle. Vt Nobilitas quotidianis exactionibus iniustis onerata, & in seruitutem redacta, ad pristinam libertatem & dignitatem redeat. Vt Populus ab omnibus nouis impositionibus, post mortem regis Caroli quotidiè accumulatis, leuetur. vt Parlamenta pristinam potestatem & Iurisdictionem integram recuperent. vt Gubernatores & officiarij publici, à muneribus & officijs sibi mandatis, non remoueantur, exceptis tribus casibus, in veterum constitutionum sanctionibus expres-

expressè nominatis. vt omnis pecunia ex populi contributionibus collecta ad salutem regni & vsus ordinatos perueniat. vt singulis triennijs, Ordinum regni generalis conuentus habeatur, in quo singuli ordines, grauamina sua proponere, eorumq; abrogationem impetrare queant. Testantur autem se nihil hoc bello contra Regem moliri, sed ad defensionem, personæ, vitæ & status regis, omnia referre, ac cùm primùm iusta hæc postulata sua impetrent, se rursum arma posituros esse. Orant Reginam matrem, reliquos Pares ac principes Franciæ, ecclesiasticos ac politicos, vniuersam Nobilitatem, Ciuitates ac Populum, vt ipsorum institutum fideliter adiuuent.

Etsi autem his postulatis Rex respondit, nec voluntatem nec fidem aut diligentiam in tuenda veteri religione, & tota republica rectè & salutariter administranda sibi hactenus defuisse: & cùm spes hæredis regni à Deo sibi tribuendi, nondum ablata sit, successionis causa tantum bellum moueri non debuisse: tamen paulò post cum principibus confœderatis amicè conuenit, ac, vt vna sola catholica Romana religio in Gallia retineatur, & Hugenotti ab omnibus publicis muneribus & reipublicæ gubernaculis

remoueantur ac deinceps arceantur, & omnia priora Edicta de reformata religione toleranda, abrogentur: communi consilio decreuit. Ideoq; prouincias regni, principibus confœderatis tuendas, distribuit. Oppidis Hugenottorum, Rupellis, S. Angeli, Montalbano & alijs, saluum passum & commeatuum importationem, dispositis in vicinia præsidijs, prohibet. Ministri ecclesiarum reformatarum omnes intra mensis spacium: ciues non armati, vsq; ad mensem Ianuarium deliberare, & nisi ad catholicorum templa redeant, ex regno discedere iubentur. Hæc publico edicto regis die 18. Iulij promulgata sunt.

Henricus Nauarræ rex, qui Galliæ regem hactenus sibi amicum in hac causa & coniunctum existimauerat, postquam se deluſum videt: publico scripto causas necessariæ defensionis à se suscipiendæ exponit, & ab Angliæ regina confœderata pecuniam, à Germaniæ principibus facultatem copiarum equestrium in ditionibus eorum colligendi, petit. Interea Sixtus Pontifex, publico senatus cardinalium decreto, Henricum regem Nauarræ, & Henricum ducem Condæum, tanquam hæreticos excommunicat, & inhabiles ad successionem coronæ Gal-

Gallicæ declarat: omniaq; eorum regna, ditiones, aliaq; bona, subditis à iuramento obedientiæ absolutis, prædæ exponit, & Galliæ regi, cæterisq; confœderatis, executionem mandat. Rodolpho etiam Cæsari scribit, vt Germanos principes opem excommunicatis laturos, consilio & autoritate sua prohibeat. Etsi autem magno animo & impetu bellum hoc Guisiani & confœderati adorti sunt: tamen præter hanc pacem cum rege factam, nihil hoc anno memorabile amplius gesserunt, ciuitates tamen regni occupatas, assentiente rege, præsidijs suis munitas Guisiani retinuerunt.

De Orientis rebus hæc accepimus. Amplissima Orientis insula, longè vltra Indiam & Sinarum regiones, ad grad. long. 180. lat. 35. sita est IAPAnia, quam in 60. principatus distributam esse ferunt. ex quibus tres principes, ad religionem Christianam superioribus annis adducti: Franciscus, Bungi; Protasius, Arimorum; & Bartholemæus, Omuranorum, ineunte anno 1582. legatos ad Romanum Pontificem amandarunt, qui legati eo anno Malacam & Goam: altero, circumnauigata Africa, in Lusitaniam; ineunte hoc anno Romam appulerunt 23. Martij, vbi Gregorio XIII. P.P. paulò ante ipsius obitum

itum literas reddiderunt, & orationem, quæ extat, à Caſpare Conſaluo Luſitano, nomine eorum pronunciatam, habuerunt.

PERSarum Rex Mahomet, memorabili hoc anno victoria, aduerſus Turcas, menſe Septembri potitus eſt. Biduo enim pugnatum, & multa millia vtrinq; cæſa, & filium regis Perſarum vulneratum eſſe, Conſtantinopoli ſcribunt. Literas verò regis Perſarum, ſuperiore æſtate, ad Philippum Hiſpaniæ regem, quibus amicitiam & fœdus aduerſus communem hoſtem Turcarum Imp. ab illo petit, vt ex diuerſis locis, Italia, Belgico, & à quodam Hiſpaniarum regis miniſtro Coloniâ ad nos miſſas accepimus: ita, nihil de earum fide affirmantes, adſcribemus. præſertim cùm de ſtatu religionis ac imperiorum in oriente quædam lectorem, rerum Orientalium non imperitum, admoneant.

Schah Mahometh, Codabend, magnus Rex Perſiæ: generalis Calipha ſectæ Hali: Caput Chuſelbaſarum: monarcha Perſiæ, Mediæ, Aſſyriæ & Armeniæ: dilectus filius & ſectator legis prophetæ Mahometis: domitor Tyrannorum in oriente: princeps magnæ vrbis Samaracandæ: protector magnæ inſulæ Chienæ: laudatus ſectator diuini

uini Ismaelis: inuictus Sophi, & Dominus maris ac terrarum in oriente supremus.

Salutem & victoriam optat Philippo Austriaco, inter cæteros reges orbis Christiani instar Solis illustrissimo, & optimo, Triumphanti in excelso throno Imperij potentiss. Christianorum, &c. Etsi religionis inter nos dissimilitudo est: potentia tamen & communi odio aduersus Ottomannum tyrannum Græciæ, coniuncti & æquales sumus. Quare cùm potentiam & maiestatem tuam considerarem, & te armis, regni & imperij tui fines, ab occidente Sole vsque in orientem & mei regni viciniam, propagasse & amplificasse viderem: magno tui amore & veneratione accensus sum. Itaq; omnibus prouincijs mihi subiectis, & sceptro meo regio tributa pendentibus, vel commertia cum illis exercentibus, in India & vicinis regionibus mandaui, vt omnem beneuolentiam & amiciciam tuis in regno Ormus, & Lusitanis, ac alijs arma pro conseruatione tuæ Maiestatis gestantibus, & omnibus tibi potentissimo Regi subditis præstent: eosq; immunes à vectigalibus, in portu Chideno & alijs, negociari sinant. Tuæ etiam Maiestatis causa, vrbem Aden, à Solymanno antea per proditionem captam, occu-

occupauimus, quæ tui Gubernatoris Digoæ vsibus seruiat. Omnes etiam Christianos in nostris regnis, eodem statu & honore esse cum cæteris nostris subditis volumus. Ideoq; Priechamo generali Schacho, vt hoc excelsum mandatum nostrum inuiolatum seruari curet, seriò iniunximus.

Sciat etiam Maiestas tua, me iam totos septem annos, potenti exercitu meo, vanissimum, fastuosissimum & hæreticum Turcam in angustias redegisse. Cùm enim bello fratris mei, Freharaimrissa implicitus essem: Turci, fraude, vt solent, Ehriuam occuparunt. Postquam verò quinq; eorum exercitus dissipaui, cum dedecore & damno eos ex occupata iam regione depuli, atq; ita consternaui, vt viso illustri vexillo trium bufonum & rubri Leonis nostro, Luna ipsorum planè obscurata, turpissimè fugerint. Nec desinam, donec toto oriente eos expulero, & titulos inanes regni Babylonis & Alcairi, quos sibi arrogarunt Ottomanni, deponere coegero, ne maiorum & antecessorum meorum, inuictissimi Ismaelis & Techellis sedes, in amplissima vrbe Bagdet, Babylone & Alcairo deinceps possideant, nec supra sepulchrum Imamhuseru Prophetæ mei, vna coronentur.

Oro

Oro igitur te potentissimum Dominum, vt fœdere mecum iungaris. & classem tuam armatam, tormentis præcipuè æneis instructam, ex Lysbona Budam Arabiæ portum mittas, Ottomannum ex Arabia pellas, & te Dominum Damasci & Ægypti constituas. & alia classe tua eum ex Græcia eijcias, teq; Constantinopoli Imperatorem colloces, vt victo hoc tyranno, nos duo, totum terrarum orbem, pacificè & iustè gubernemus. Exere & declara in hoc bello ingentem potentiam tuam aduersus hunc canem Turcicum, qui, si posset, cor tuum corrosum deuoraret. Ego Tattaros ad hoc bellum stipendijs meis conduxi, eorumq; 50000. Capham conuenire iussi, vt eam Imperij Turcici partem debellatam occupent. Quare denuò rogo, vt aduersus communem hunc hostem te instruas, & de omnibus rebus me certiorem reddas, quod magnæ mihi voluptati ac solatio erit. His benè & feliciter te valere iubeo, &

Maiestati tuæ exigua munera mitto, quæ μνημόσυνα mei apud te esse patieris.

†


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1793707960/phys_0260

SYLVVLA

CHRONICI

DE ANNO

1586.
1587.
1588.
1589 *incunte.*



EXCVSA

CIↃ. IↃ. XIC.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1793707960/phys_0261



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1793707960/phys_0262

ANno M. D. LXXXVI. incipiente, Augustus elector Saxoniæ, cum Hagna Hedwige, Anhaldina, nuptias apud sponsæ parentes celebrat, (3. Ianuar.) ac Dresdam ductis cum sponsa principibus, qui præsentia sua sacrum nuptiale cohonestarant: filiam Annam, Iohanni Casimiro duci Saxoniæ, Ioh. Friderici captiui filio, Coburgi sedem aulæ habenti, in matrimonium tradit: & paulò post, fato concessisse, ante quàm ægrotare, auditur. nam die 11. Febr. cùm concionem manè audiuisset, ex venatione cum coniuge in vrbem redijt, & in scamno sedens, miro animi deliquio & virium corporis defectu, subitò abreptus est. & pridie idus Martij solenni pompa funebri, Freibergæ sepultus.

Obierunt sub idem ferè tempus, Margarita Austria, Caroli V. filia notha, Alexandri ducis Parmensis, Belgiæ gubernatoris, mater. Æmylia, VVilhelmi Cliuiæ ducis soror, anus virgo, quæ fratris filias, duobus Palatinis, & Borussiæ duci, elocatas educauit, & veræ de Deo doctrinæ ac sinceræ religionis amore imbuit. KVnigundis, Friderici Palatini filia, Ludoici soror, nupta Ioanni Nassauio, principis Vraniæ fratri.

ANNA, Ruperti Palatini filia, Caroli Badensis vidua, exeunte Martio. In Cimbrica Chersoneso, Elisabetha, coniunx Ioannis iunioris Holsatiæ ducis, filij Christiani III. regis Daniæ: filia Ernesti ducis Brunsv. Philippi neptis; octo filiorum & 6. filiarum mater: & in Megapoli, VRSula, Henrici ducis Megapolitani filia, & ex illius posteritate in his terris vltima, anno ætatis 76. pridie Georgij decessit, cùm circiter 60. annos, cœnobio Ribnicensi virgo præfuisset.

Fundauit autem, vt id obiter inseram, Cœnobium virginum nobilium Ribnicij, oppido tribus à Rostochio milliaribus, non procul à Recnisa fl. sito, Henricus Leo D. Megapolitanus, Henrici Hierosolymitani filius, Ioannis Theologi nepos: A.C. 1319. attributa area, cui arx principis antea insistebat. Vbi inter perpetuas senatus oppidi aduersationes, templum & alia cœnobij ædificia, viuente adhuc decennium Henrico fundatore, excitata sunt, qui ius patronatus ecclesiæ Ribnicensis (1324.) postea filius Albertus, in Marlow & Dassow prope Lubecam (1339) monasterio donarunt. In literis dotationis, quibus terra Zwant wustrow, per Henricum Leonem cœnobio attribuitur, trium coniugum Henrici Leonis nomina extant, qua-

quarum prima fuit Beatrix, Alberti marchionis Brandenburgici filia, quæ Stargardensem ditionem dotis loco attulit. 2. Anna, filia Alberti II. ducis Saxoniæ, & Agnetis filiæ Rodolphi Habsp. Imp. soror Rodolphi senioris ducis Saxoniæ. cuius, anno 1348. cùm Albertus & Ioannes, Henrici filij, primi Duces Megapolitani, à Carolo IIII. crearentur, in literis Caroli nominatim mentio fit. 3. Agnes, vicini in Marchia comitis Lindaensis & Reppinensis filia.

RECNisa verò fl. Ribnicij oppido fininitimus, ad pagum ὁμώνυμον, 5000 passuum à Gustrouio, Vandaliæ metropoli, ex lacu emanans, vbi Lagam, Tessinum, Salinas, Marlouiam, Megapolitana oppida præterijt, tandem ad Damgardiam, Rugiæ ducatum Pomeraniæ coniunctum, & Megapolin disiungens, lacum efficit, qui ad pagum cœnobij Ribnicensis VVustro, duobus à Ribnicio milliaribus, angusto velut Isthmo à mari Balthico secernitur, ac deinceps continuo amplius viginti milliarium tractu intra terram & littora vicini maris porrigitur: à dextris, oppida Pomeraniæ, Bardam, C L. V. Pauli Odebornij, vatis, & ecclesiæ Rigensis hoc tempore Antistitis patriam: SVNdium, ducatus Rugiæ metropolin: GRYphiswal-

dium, Academiæ, & VVolgastum aulæ Pomeranicæ sedem, & Angelam ad Panim fl. STETI Num ad Viadrum. à siniſtris verò, peninſulam promontorij Daſſæ, Zingſt, Rugiam, Vſedom, & Iulini inſulam Viadri oſtijs obiectam, alluit: anguſtos alicubi portus ſeu exitus in mare Balthicum præbens: Prierouiam, è regione Bardæ: Gellam, inter Zingſt & Rugiam, ad Sundium: nouum Peini oſtium, inter Rugiam orientalem & Rudam inſulam, olim tempeſtatibus inde auulſam, è regione Gryphiſwaldi & VVolgaſti: Sueuum, è regione Vkermundæ: Diuenoam ſupra Stetinum, inter Iulinum & Caminum epiſcopi ſedem: à qua deinceps terra continens in Boruſſiam vſque porrigitur. ſed his parergis relictis, ad inſtitutum redeo.

Illuſtriſſimi & optimi principis, VVilhelmi, ducis Brunſ. ac Lunæburgenſis filiam Dorotheam, CARolus Palatinus, VVolgangi filius, Cellæ Saxonum Idibus Februarij vxorem duxit. cuius ſororem Eliſabetham, ſuperiore anno, Fridericus comes Hohenloenſis, VVolfgangi filius, Ludoici Caſimiri nepos, nuptijs itidem Cellæ celebratis, ſibi connubio iunxerat.

BELGICI prouinciæ, nondum Parmenſi deditæ, Hollandia imprimis & Selandia

dia, & cæteræ illis adhuc vnitæ, cùm in Elizabethæ reginæ Angliæ patrocinium ac tutelam superiore anno se contulissent: Robertum Dudlæum, comitem Lyceſtriæ, Baronem Deinbigiæ, senem, ac reginæ carum, quem exercitui Anglico in Belgicum misso regina præfecerat: Gubernatorem & Capitaneum generalem constituunt. eique summum Imperium & absolutam authoritatem in omnibus negotijs bellicis, ac totius Reipublicæ & iusticiæ administrationem (saluis tamen prouinciarum priuilegijs) & potestatem omnes contributiones colligendi & expendendi attribuunt Edicto publico die 6. Februarij, Hagæ comitis promulgato. Robertus Vlissingam, Briel, Rammeliam Bergam ad Somum, præcipua Selandiæ Hollandiæ & Brabantiæ propugnacula & portus, pro securitate Reginæ Angliæ præsidijs suis muniuit.

Martinus Schenckius, statuum Belgicæ præfectus, qui superioris anni mense Maio à regijs dimissus fuerat, cum aliquot complicibus, VVerlam, eius partis VVestphaliæ, quæ Colonienſi subest, oppidum, summo mane intra 3. & quartam horam, 17. Februarij occupauit, ea vti apparet intentione, quò sibi, si castrum eidem oppido imminens quoq;

capere potuisset, pedem figere, eoque obsidionem Nouesianam, quæ iam dudum concluſa & præ foribus erat, impedire posset. Cùm verò regios magnis copijs aduentare, ac Rhenum traiecisse, intellexisset, nec castro illo in VVerla tàm citò potiri posset: metuens, ne sibi via atque receſſus concluderetur, 26. demum eiusdem mensis Februarij, circa octauam vespertinam, isthinc cum omnibus suis, prædam omnem, cum multis captiuis, inter quos duo fratres, Gerardus & Christianus Kleinsorge Iureconsulti, ac magni in eo oppido nominis viri esse dicuntur, secum trahens, discessit. & saluus ac incolumis, sine vllo impedimento, VVesaliam (vbi in continenti Rhenum traiecit) vltimâ eiusdem mensis Bercam ingressus est.

Eodem mense Februario, Stephanus Poloniæ rex, communitatem Rigensem, euocatam ad tribunal regium Grodnæ, vna cum parte aduersa, ipse audit; & tandem 19. Martij pronunciat. Etsi grauissimè, excitato illo tumultu, & mutato, priuata autoritate, toto ciuitatis statu, & vrbano Magistratu in ordinem redacto, & læsis temerè innocentibus viris, offensus sit: tamen cùm vtraque pars subiectissimè roget, ne pauco-

paucorum culpa, publicam, toti ciuitati, calamitatem adferat: nunc mandare, vt tandem hos enormes exceſſus corrigant, & ante omnia in priſtinum ſtatum, ciuitatem reponant: Magiſtratum in integrum reſtituant: nihilque planè eorum, quæ ſub tumultum mutata ſint, retineant. Deinde, vt exulibus enormiter læſis, reconcilientur, & pro damnis datis ſatisfaciant. Cumque præcipuos ſeditionis autores, Regia Maieſtas, ad tribunal ſuum euocare, cumque ijs legittimè procedere decreuerit: mandat communitati, vt ſe ab illis Ducibus ſeditionis, qui citabuntur, ſeparet, eoſque ad ſe in iudicio regio ſiſtendum compellat. Quod ſi reformationem Reipublicæ quandam ciues deſiderarint: Regia Maieſtas, communi conſenſu, ſedatiſque conſilijs, eam inſtitui curabit.

Ex tota verò ciuium communitate Rigenſi, duos tantùm ciues, Collegij maioris tribunum, & alterum, quo aduocato ciues, in actionibus cum Senatu, vſi fuerant, ad tribunal regium inſtigator euocat. Hi verò allegatis vrbis priuilegijs, cauſam in vrbe cognoſci, petunt, nec conſtituta die comparent. Interea Taſtij Tragædia, quam poſtea expo-

nam, interuenit; quæ indignationem Regis, aduersus totam ciuitatem, ardentiorem inflammauit, quæ tamen paulò post, inopinata Stephani regis morte abrupta est.

NOVesij obsidio, à Col. archi. Ernesto cœpta sed ob annonæ inopiam, alijsq; de causis relicta est: obsessis interea prædas opimas, ex tota vicinia, & prædijs, ac mercibus ciuium Colonienſium, in oppidum conuehentibus. Quod tandem mense Iulio, à Duce Parmensi & Hispanis oppugnatum, captum & plerisque militibus & ciuibus trucidatis, eorumque præfecto Friderico Clodio ex fenestra suspenso, direptum, & incendijs deformatum est. Carolus Truxesius, Gebhardi archiepiscopi frater, quem Bonnæ à militibus periuris Ernesto traditum, & in arce Leodiensi Huia, custoditum fuisse diximus, tandem liberatus, mense Maio ad coniugem redijt. deinde fratrem arch. in Hollandia inuisit, sed à cæteris eius negocijs prorsus abstinuit.

Franciscus Dracus, Anglicæ classis præfectus, quem ad Hispaniæ littora, & Americam versus, à regina ablegatum esse, vt regis Hispaniæ vires distraheret, ne quantum necesse sit auxiliorum in Belgicum mittere posset, superiore anno diximus; Promontorium

torium viride cepit, in quo Hiſpanicarum nauium in Americam nauigantium ſtatio eſſe ſolet. Inde ad Hiſpaniolam, S. Dominici inſulam initio Ianuarij peruenit, vbi ſeruos Africanos ſeu Æthiopas (quorum coloniæ ampliſsimæ in Americam extinctis veteribus incolis, quorum plurimi acerbiſsima Hiſpanorum tyrannide in deſperationem acti, mortem ſibijpſis, & liberis ſuis conſciuerant, ante multos annos ab Hiſpanis ductæ erant) ad rebellionem, promiſſa eis libertate & datis muneribus ac donis in præſentia amplis, concitauit. qui ab eo armati, cæſis Hiſpanis, inſulam totam tradiderunt. Naues in portu pecunia & mercimonijs onuſtas, & in Hiſpaniam ſoluturas, intercepit: & oppidum S. Dominici & cætera inſulæ caſtra & ſtatiua propugnacula diripuit, machinas 254. auexit menſe Febru. Panemaidem, ad Iſthmum, quo Peruana & noua Hiſpania iunguntur, traiecit, cumque liberè in toto illo noui orbis pelago aliquot menſes vagatus eſſet: ante autumnum in Angliam, 23. nauibus, & præda ingenti ac opulentiſsima, quam millionibus aliquot æſtimarunt, comitatus redijt: circa id tempus, quo nobilium aliquot Anglorum, inſtinctu Mariæ Scoticæ, aduerſus

regi-

reginam Angliæ Elisabetham consspiratio, duabus etiam in Gynæceo virginibus, vt veneno eam tollerent tentatis, patefacta, & literis reginæ Scotiæ prolatis confirmata est. Nobiles coniurati quatuordecim, die 20. & 21. Septembris, supplicio proditoribus debito, in suburbio Londinensi affecti, & quadrifariam dissecti. Quibus ipsis diebus, per Hiberniam, eidem Angliæ Reginæ rara victoria obtigit. Cùm enim comes Arraniæ & Farnhurstius Baro Scoti, à comitijs regni Scotici proscripti, res nouas per Hiberniam, consilijs cum Guisijs & Hispanis communicatis, tentatent, ac 3000. sylvestrium Scotorum in Hiberniam transmisissent, cùm iam in Connaciæ prouinciam perrumperent, omnes feré internecione, Richardus Binghamus equestris ordinis vir prouinciæ illius præfectus, sustulit: qui quantum rei militaris peritiâ excelleret, industria & incredibili celeritate Reginæ suæ demonstrauit: quæ diuinæ clementiæ fauore, non tantùm domi vno & eodem tempore periculosissimis insidijs erepta fuit, verùm etiam per Hiberniam sublatis hostibus victoriæ cumulo exornata. Deinde indicta ad mensem Nouembrem comitia, in quibus, de continuatione defensionis Belgarum

rum aduersus Hispaniæ regem susceptæ, & de criminibus ac supplicio reginæ Scotiæ statuatur. Processus contra eam criminalis est institutus ex Iudiciorum more, & ex eo concepta in illam ferenda capitis sententia. Illa verò Fordighamum, Northamptoniæ prouinciæ arcem (quæ aliquando ad Lancastrianæ familiæ duces pertinuit) Londino circiter 15. milliaria germanica distantem, ducta fuit, vbi tribunali, XIV & XV. Octobris sistebatur. Legatus in Galliam missus ad Regem fertur, cum concepta in eam sententia, vt eam, ex viso processu probet. Fuit enim Francisci II. coniunx.

Vt igitur comes Leicestrius in Angliam ad comitia veheretur, & prouincias confœderatas ad societatem belli naualis pertraheret: Franciscus Draco, equestris ordinis vir, & maritimarum expeditionum peritissimus, ex America reuersus, in Selandiam venit. alter præfectus cùm classe in Draci locum versus Indiam iuit. Qui naues duas, ex S. Thomæ insula Lusitanorum cepit, cùm insulæ præfecto. Vna vehebat viginti quinque millia coronatorum, quæ in Angliæ portu perijt. altera ibidem, cum eo præfecto salua adpulit, qui in Angliam captiuus est ductus.

In

In Belgico, superiore æstate, GRAVAE Geldriæ oppido, ab Hispanis obsesso, Dudlæus Anglus, Hollandiæ Gubernator, opem ferre conatus erat. Apertis enim aquarum ad eam vrbem portis, ager inundatus, iter nauigiolis præbuit, quibus in eam annona, qua valde laborabat, inueheretur. Inuito quidē hoste, qui duas illic munitiones euexerat, ne quis in vrbem ingredi, aut ex ea valeret egredi. Quibus & aliam Angli opposuerant. eam, regij magna vi ex improuiso adgressi ceperunt, Angloque ex ea profugientes, insecuti sunt. Cum autem præter spem equitatus Anglis adueniisset: nec vllum regij haberent: resumptis animis, Angli, qui terga dabant, prælium commiserunt. Ex Hispanis centuriones quinque octoque signiferi, duodecimque decuriones & quadringenti milites cæsi. Nihilominus tamen profligatis Anglis, obsidio Grauiæ continuata, eiusque deditio ineunte Iunio secuta est. Quo ipso mense, Venlo etiam Geldriæ vrbs munitissima, in Hispani potestatem redijt. Proximo mense Nouesium, vt dixi, expugnatum, & deinde Zutphania, quam Hispani tenebant, à VVilelmo Pellamo Anglo, Leicestrij vicario, obsessa, immisso per Parmensem commeatu defensa

fensa est. Ad Sutphaniam perijt globo ictus Philippus Sydneus, eques Anglicus, nobilitatis literatæ in regno illo flos & decus præcipuum, qui multorum in Anglia & Gallia eruditorum Poematis celebratur. ex quibus vnicam DANielis Rogersij, Sereniss. Reginæ Angliæ Oratoris, in obitum Philippi Sidnæi, iuuentutis Britannicæ principis Næniam, nondum quod sciam typis descriptam, adiungo.

Cœlo receptos, flere licet nefas:
Quis temperarit fletibus hîc pijs,
Philippe, te secli sublato
Delicio, mediâ Iuuentâ?
Cui vagienti Sydera prosperum
Risêre lætis desuper ignibus:
Cui Cypris os spargit decore,
Excoluit Charis alma mores.
Cui Pallas vni contulit Entheo,
Quas dictat artes, Mars animos dedit,
Indulsit Hermes cui sagaces
Mellifluo, referare sensus.
Sublimiori quem genio excitum,
Pater Deorum, præficere vtili
Belgis tuendis cogitabat
Consilio, miseris leuamen.
Heu concidisti vulnere saucius,
Globo volanti sulphureo ê tubo,

Traic-

Traiectus imum quâ femur se
Lubricat, inq; genu reflectit.
Zutphana tellus conscia prælij,
Quæ semimauris hostibus obuium
Te vidit, admirata, vultum
Pectoris intrepidiq; fulmen.
Quæ terra quamuis hospita, censuit
Aduersitatem, quæ tua, propriam:
Testata disruptis cauernis
Ingenitum gemitum atq; planctum.
Te mœstus, auctis Isala fluctibus,
A lacrymarum gurgitibus tumens,
Plorauit, & Rhenus gemiscens
Disseruit tua fata Nymphis.
Deiectus isto funere Belgij
Immane quantum fluctuat incola,
Confisus hostiles Iberûm
Vincere vindice te phalanges.
Qui sic colebat Iusticiæ tuæ
Fidus bilancem, pectoris & niuem,
Vt patriæ innatum studeret
Aduena amor superare zelum.
Quid de supremis exequijs loquar?
Quantum egerit Zelandus vt arduam
Cadaueri molem retento,
Nobilis extrueret sepulchri.
Illud relatum, per freta cærula
Suo recepit sed pater alueo,

Vt

Vt iuxta maiorum locaret
Compositum Tamesinus vrnas.
Qui neminem sic luxit atrociter
Post Edoardi funera principis,
Fletuq; lamentisq; adauctus
Insolito tumuit fluore.
Quis iustiorem materiem pijs
Percepit vnquam luctibus additam?
Non palma tanti, perderemus
Vt columen patriæ, ac statumen.
Nullo vigebat pectore tàm potens,
Nec signa virtus tanta sui dedit,
Se ingessit in Sydnæe pectus
Quanta tuum, documenta promens.
Heu spes inanes & fragiles nimis,
Mortalium heu commenta fugacia,
Heu vota, somnio vaniora:
Nec stabilem, ambiguamq; vitam.
Princeps inaudisti modo patriæ
Pubis, Smaragdus principis & tuæ:
Nunc pubis infandus Britannæ,
Principis & dolor es Britannæ.
Gauisa nunquam plus fuit vllius
Fato fuit, quantum Impietas tuo,
Nunquam sibi plus efferato
Credidit omne scelus licere.
At pone finem planctibus Anglia
Modusque crudis sit querimonijs:

Carina portum cùm subiuit,
Tempore sistitur illa iusto.
Quicumque culmen vicerit arduæ
Virtutis, huic mors grata venit quies:
Non plurimi anni, sed senem, vna
Efficit æqua per acta virtus.
Nec mortis illi forma fuit grauis,
Cui vita in armis grata micantibus:
Non cor veterno torpuit nec,
Otia prætulerat periclis.
Versatus inter belligeros equos,
Mortale vulnus vectus equo tulit:
Lethum subiuit, quale viuus
Hostibus expetijt fugatis.
Quin mater exultes licet Anglia,
Quod tale pignus protuleris sinu,
Ætas futuris quale sæclis
Nulla, vagum pariet per orbem.

FRIdericus Daniæ Rex, à Nauarreno, de auxilijs, aduersus Guisianos, reformatam religionem in Gallia armis delere, & ius successionis coronæ Gallicæ, Nauarreno, per PP. excommunicato, ereptum, sibi vendicare molientes, sollicitatus: legatos ad Henricum Galliæ regem misit, qui pacem religioni reformatæ, superioribus annis à rege datam, & Iureiurando aliquoties confirmatam, seruari, & Nauarræo ac socijs, vim reli-

religionis nomine nullam inferri, peterent. Idem rogaturi electores & alij principes Euangelici, Fridericum comitem VVirtebergensem & collegas, postea in Galliam ablegarunt.

Danicis mense Aprili rex Galliæ respondit, se in bonam partem amicissimi regis admonitionem accipere. Verùm se vicissim amicé Daniæ regem rogare, ne motibus illis, in Gallia nunc excitatis, nimium commoueatur, aut se immisceat. Se expectare à DEo mediocrem huius Tragædiæ exitum, & à se, sopiendis his malis, ea adhibitum iri remedia, quæ à Christianissimo & pio principe, patre patriæ, proficisci & adhiberi debeant & possint. In Angliam quoque Daniæ rex peculiarem legatum, & alium in Hispaniam misit, vt regis Philippi voluntate explorata, de pace inter Hispaniæ & Angliæ regna, priusquam atrocius, ex bello in Hollandia & America moto, incendium inflammatum latius serperet, restituenda, tractationem solennem susciperet.

Reuersis ex Gallia suis legatis, Daniæ rex, cùm electore Saxoniæ nouo, sororis suæ filio, Christiano; Brandenburgensi, Iohanne Georgio, & alijs aliquot principibus,

Luneburgi 18. Iulij conuentum instituit. ac ipse, biduo ante, vrbem ingressus est. In eo conuentu, Iacobus Segurius, regis Nauarræ legatus, auxilia suo Domino, vndiq; à rege Galliæ & Pontificijs confœderatis oppugnato flagitauit. Quæ Daniæ rex fideliter & maturè præbenda: Electores verò, suorum ad Galliæ regem legatorum reditum expectandum, ac ex responso illis dato, consilium capiendum esse censuerunt. Angliæ etiam regina, per legatos, Gubernatorem in Belgico suum, bis mille equitibus & aliquot millibus peditum in Saxonia conscriptis iuuari petiuit. ac cum Daniæ rege antea egisse dicebatur, vt is ali quot mensium stipendia numeraret. qua spe multi, ex Holsatia præcipuè, equites adducti, promptius nomina suaFridericoRanzouio equitumTribuno, nomine comitis Morsiani, quem Angliæ regina Imperatorem copijs illis præfecerat, dederunt. ac statim post solutum Luneburgi conuentum, copiæ illæ in vicinia colligi cœperunt.

Paulò antè, Lunæburgam EBERhardus episcopus Lubecensis & Verdensis & collegij ad D. Michaëlem Lunæburgi Abbas, princeps sapiens, & veræ religionis, iusticiæ ac literarum amans, commissarius à Cæsare inter

inter Christophorum ducem Megapolitanum, & fratrem VLricum ac fratris Ioannis Alberti filium designatus, ad actionem institutam accesserat. sed lento ac diuturno morbo inualescente confectus, III. Non. Iulij rebus humanis exemptus est. Collegæ ad D. Michaëlem, antequam humo exuuiæ defuncti Abbatis conderentur (id enim legibus collegij statutum est) successorem constituerunt Conradum à Botmer. VERdensis Ecclesiæ Canonici, Philippum Sigismundum Iulij ducis Brunsuicensis filium, quem Mindensibus etiam paulòantè, pater proposuerat: Suffragijs suis Episcopum crearunt, renunciatum 16. Sept.

LVBecenses verò, Ioannem Adolphum Adolphi ducis Holsatiæ filium, qui superiore anno Bremensis archiepiscopus designatus erat elegerunt.

ADOLPhus Dux Holsatiæ, electi à Lubecensibus episcopi pater, princeps fortis & magnanimus, Calendis Octobris ex vita emigrauit: relictis quatuor filijs, Friderico, Philippo, Ioanne Adolpho, & Ioanne Friderico, (quintus enim Christianus ante patrem decesserat) & totidem filiabus, quarum primogenita Sophia, auiæ paternæ nomen referens, Ioanni Duci Megapolita-

no, optimi principis Ioannis Aberti filio, desponsata erat.

Adolphum, soror Elisabetha, Vlrici Ducis Megapolitani coniunx, Friderici II. Daniæ regis amita & socrus, Idibus Octobris, secuta est. quæ, cùm superiore æstate, regem generum, marito comitata, inuisisset, in reditu, ad Giedzoram, Falstriæ insulæ portum, septem tantum milliaribus à proximo Germaniæ littore & ostio Arni dissitum, aduersis austrorum flatibus, aliquot hebdomadas, cum marito detenta, in Febrim incidit, qua inualescente, tandem, in mariti & filiæ reginæ Danicæ complexu extincta, & in Megapolin reuecta, Gustrouiæ, die 23. Nouembris condita est, orationem funebrem, quæ extat, habente Dauide Chytræo.

Eodem die, quo dux Holsatiæ Adolphus obijt, Adolphi comitis Morsiani copiæ, recens collectæ, ad VVildehusiam dissipatæ sunt. Is tota ditione Morsiana, ab Ernesto Colonienſi archiepiscopo per Parmensem ei adempta; recens à Roberto, Lycestriæ comite, Hollandiæ gubernatore, nomine reginæ Angliæ conductus; statim post Luneburgensem conuentum, ad bis mille equitum & duas legiones peditum in Saxonia conscripserat, quas ad Lockam monasterium

sterium conuenire iussit. vnde paulatim ad Vechtam & VVildeshusium progressi sunt. Cùm autem pediti arma, & toti exercitui vnius mensis stipendium à comite promissum fuisset; nec vspiá pecunia appareret; & Hispani hostes, vt vi eos profligarent, ad Cloppenburgam vsq; iam accessisse falsò nunciarentur: non diutius ferentes se inanibus spebus lactari, circa Calendas Octobris, sponte & citò inter ipsos quoq; orto disidio singuli ad sua redierunt. Comes classicum cani iubens, desertis copijs se subduxit. Legatꝰ comitis in hac expeditione fuit Ioannes à Plettenberg. Tribuni inferiores, Iodocus à VVerder, Fridericus Schulte & Fridericus Ranzouius, Henrici vicarij regij filius, 400. equites ducens; qui, cæteris dilapsis, postremus tandem ipse quoq; ad loca tutiora se recepit.

Comes Leicestrius, Angliæ reginæ in Belgico Prorex, vbi Zutphaniam à Parmensi annona subleuatá ac defensam: exercitum bis mille equitum & totidem peditum, quos in Holsatia & reliqua Saxonia comes à Morse & alij tribuni collegerant, vltrò disipatum esse vidisset: exercitum, quem ad Zutphaniam habuit, Dauentriam (cui Stanlęum equestris ordinis virum præfecit) & in vicina loca in hyberna dispositit: ita tamen vt Zut-

phaniam (est enim Dauentriæ ad duo milliaria) propemodum obsideat, saltem impedit ne commeatus in eam maior importetur. Insulam Zutphaniæ propinquam, in qua munitio est, deseruit. vicissim Regij, maiorem munitionem, quam ad vrbem Zutphaniam erexerant cis Issulam fluuium, relinquere cogebantur. quam custodiendam Rolando Yorkio Leicestrius tradidit.

Eò autem Anglorum consilia tendebant, ne regijs commeatus in Belgium posset inferri, vt fame subigant regios, quos armis vincere nequeunt. Propterea decem naues militares, Batani, ostio Albis ad Hamburgam mense Octobri immisere, quibus adnauigantes, ea ex vrbe naues, Dunkercham vehentes commeatum aut merces, diriperent. compleuerant frumento Flandri in ea vrbe & vicinia multas naues, quibus ingentem annonæ caritatem in Flandria & Brabantia subleuarent. verùm metu classis Batauicæ ad Albim excubantis rursum exonerare naues, & frumentum Hamburgi vendere coacti feruntur.

Verè autem accidit tum Belgis & Gallis, quod in veteris oraculi versu dicitur Δωριακὸς ἕξει πολεμος, καὶ λιμὸς ἅμ ἀυτῷ. Nam & in Gallia, ali hac æstate exercitus,

ob

ob annonæ anguſtiam, non potuere. Itaque & DuManei & Valletæ militum copiæ in hyberna deductæ: & Germani, cum pecunia etiam ad ſtipendia deeſſet, exautorati ſunt. Nauarræo & ſocijs intra arces & oppida ſua ſe interea tenentibus. Electorum verò & principum Auguſtanæ confeſſionis Legatis, pro rege Nauarræo & cæteris eandem religionem amplexis, ad Galliæ regem miſſis, vt pactam ab hinc decennium Pacem cum rege Nauarræo & ſocijs ſeruaret: poſt trimeſtrem ferè moram, tandem reſpondit rex, ſe quod peterent, facere non poſſe. Fertur autem, vel ad ipſos, vel ad alios dixiſſe, mirari ſe, quod principes Germaniæ Hugenottorum cauſam apud ſe ſuſciperent, & regi præſcribere vellent: cùm rex nulli principi Germano modum aut metas regendi ſubditos tribuat.

AVGuſtæ Vindelicorum, poſt electum ſuperintendentem Georgium Mylium, eccleſiæ Euangelicorum conditio indies imminui ac deterior reddi videbatur. Poſtquam enim Calendarium Gregorianum, à miniſtris, ſalua veritate doctrinæ, & rituum, quos hactenus vſurpaſſent, receptum erat: magiſtratus pontificius, etiam ius eligendi ac vocandi miniſtros eccleſiæ Euangelicæ,

quod seniores seu ecclesiæ præfecti cum ministerio antea habuerant, ad se transtulit, idque Cæsaris, commissarios in vrbem mittentis, autoritate retinuit. Cùm autem assentiri ecclesiæ ministri recusarent, die 13. Iulij ante solis occasum omnes vrbe excedere iussi, & alij eiusdem confessionis, vt profitebantur, Noribergâ & aliundè acciti, in eiectorum loca substituti sunt. Quos cùm audire populus, eorumque ministerio vti nollet, magistratus pontificius, præter milites, qui iam aliquot annis in vrbe alebantur, maiores quotidiè copias conducebat, vt terrore & vi armorum instituta perficeret, & in officio ciues contineret. Etsi autem omnia agere Imperatoris autoritate videri volebant: tamen multi præcipui viri in aula, placidius & sine armorum strepitu ista peragi maluissent.

Iulius etiam episcopus VVurzeburgensis, in subditos suos, Augustanæ confessionis religionem amplexos, inclementer grassari cœpit, multis in exilium eiectis, & intra paucos dies vendere bona, & ipsi tertiam relinquere coactis. Ab hac sæuitia vicinus Hassiæ Landgrauius VVilelmus, aliquot epistolis grauissimè scriptis eum dehortatus est. Inter cætera etiam Balthasari Abbatis Fuldensis

sis exemplo vsus, qui seuerius subditos religionis prætextu persequens, non solùm in acerbissima suorum odia incurrit: verùm etiam dignitate & ditione tota priuatus est.

RIGÆ in Liuonia, de Syndico Reipublicæ, Gothardo VVellingo, I. V. D. & Ioanne Tastio senatore, cùm proditæ religionis ac libertatum patriæ, à tota ciuium communitate accusati essent, supplicium capitis, exeunte Iunio, sumptum est. Cùm enim aduersus Ioannem Tastium, superiori anno, statim post tumultum mutati Calendarij occasione excitatum, actionem ciues, vt diximus, instituissent, eumque in curia custodiri voluissent; atque is ex custodia elapsus, ad gubernatorem regium in arcem profugisset: accidit his diebus, vt Tastius ex arce discedere volens, mutata veste, in nauiculam se conijceret: ac, noctu in flumine, ex medio cursu interceptus, in vrbem reduceretur. vbi totam seriem consiliorum & actionum suarum & sociorum suorum, qui priuati commodi & fauoris in aula regia captandi causa, perfidè multa in legationibus ad regem, posthabita religione & libertate patriæ egissent, patefecit. Cùm enim aliquoties ad regem de conditionibus subiectionis, & confirmatione priuilegiorum

rum missi: ac nominatim, de nulla præsentis religionis mutatione concedenda: de aggere seu munitione inter arcem & vrbem conseruanda: & de templo Archiepiscopi & domibus ac cæteris canonicorum bonis in vrbe ciuitati relinquendis, à ciuitate instructi, & nisi illa obtinerent, re infecta redire iussi essent: reuersus cum collegis Tastius, communitati ciuium prolixissimè Regis erga ciuitatem Rigensem beneuolentiam prædicans, omnia quæ petijssent, imò plura & maiora quàm optare ausi fuissent, se obtinuisse retulerat: nec vllam receptionis Iesuitarum à regijs petitæ: nec dilatæ à rege in aduentum suum resolutionis de munitione vrbis, & bonis archiepiscopi: nec nondinarum Lithuanicarum mentionem apud populum fecerat. Quæ cùm ipse & syndicus à se acta, vt superius (1582) commemorata sunt, primùm sponte ac liberè, deinde in quæstionibus, & postea confessi essent, supplicium de illis sumptum est. cuius nuncio in aulam Polonicam perlato, Rex grauissimè commotus, ciuium procuratorem & tribunum proscribit, & plures alios, ac in his Ludimoderatorem, ad regium tribunal citat. Tabulæ proscriptionis per legatum regium senatui & senioribus populi, præsentibus

sentibus ijs, de quorum capite & fama agebatur, oblatæ, sed publicè non affixæ sunt. Cumque nouas subinde querelas, de Rigensium aliquot ciuium consilijs, cum Sueciæ rege, de tradenda illi vrbe Riga, communicatis, ad Stephanum regem exules deferrent, & ardentiores subindè ad incendium patriæ faces admouerent: Rex militum copias, in viciniam vrbis Rigensis, velut hyberna ibi acturas, mittit, & totam nobilitatem Liuonicam vnà adesse & castellum ad Dunæ fl. ostium, arcendæ classi Suecicæ, quam à seditiosis ciuibus euocatam, breui venturam iactitabant, ædificaturis, defensionem præstare iubet. Senatus & ciues ad hæc omnia conniuentes, & iam quieti, turbarum & dissensionum compositionem nullius famæ & honori præiudicantem, instituti optabant. Itaque senatus & ciues, vicinum Curlandiæ ducem Gothardum, pacis & concordiæ in ciuitate instaurandæ arbitrum eligunt. Is regem ante interrogat, an operam in eo negocio ponere, & quomodo procedere debeat, ne quid à regis voluntate alienum fortè suscipiat. Cùm autem rex, non ante compositionem aggredi Ducem iuberet, quàm liquidò constaret, ciuitatem Rigensem mandatis regijs paulò ante expo-

expositis integrè satisfeciſſe: Dux in vrbem profectus, mediocres amicè componendi negocij rationes, vt exules iuxta R. M. mandatum, ante omnia in integrum reſtituantur, ijſq; pro damnis in tumultu ab incondita plebe datis, quater millib⁹ Ioachimicorum perſolutis ſatisfiat, & omnium præteritarum offenſionum ἀμνηστία ſit, ſaluo vtriuſque partis honore, conſtituit. Quæ cùm per legatos ciuitatis, apud regem ſupplices, & ſuſpicionem defectionis ad Suecos animo regis eximere conantes, & caſtelli extructionem deprecantes, & proſcriptionem tribuni & citationes multorum, ac in his ſcholę Rectoris abrogari, & alia quædam petentes, relatæ eſſent: Rex magis etiam indignatus, quod nulla iniuſtè cæſorum & Reipublicæ in priſtinum ſtatum omnimodo reſtituendæ & aliorum capitum à ſe mandatorum mentio facta eſſet: totam compoſitionem irritam pronunciat, 26 Nouem. & niſi ſe arbitrio & voluntati Regis, abſq; vlla exceptione & conditione ciuitas Rigenſis totam deinceps permittat & tradat, nullam ſpem gratiæ ſupereſſe declarat.

Sed ecce, dum in ſumma expectatione & metu ſollicita & conſternata ciuitas Rigenſis verſatur: Stephanus Polonię rex, ſexto,

sexto, post datum legatis Rigensibus responsum, die: Epilepticis paroxysmis prostratus, postridie calendas Decembris nostri, sed pridie Idus Gregorianas, vitam cum morte commutat. Paulò post legati ex castris, ad castelli recens exstructi defensionem excubantibus, Plocensis castellanus, & alij nobiles Lithuani & Poloni, in vrbem venientes, obitum Regis Senatui significant, ac vt obedientiam & fidem regno Poloniæ debitam constanter deinceps etiam præstent, sedulò hortantur. Quibus responsum est, ciuitatem in pristina obedientia & fide erga regnum Poloniæ permansuram esse. Sed cùm & religionis & priuilegiorum ciuitatis, ad quorum defensionem & tutelam se Regia Maiestas obligarit, fundamenta labefactata sint: restitui ea per futurum regem vel ordines, & à propugnaculi noui erectione, prorsus priuilegijs suis aduersante, & perpetuam fidei maculam aspergente, & damnum ingens regio & suo vectigali allatura, desisti petiuerunt.

STEPhanus rex, totum iam decennium, eximia cum sapientię, fortitudinis, Iustitię, grauitatis, & ἀπροσωποληψίας laude, regnū illud administrauerat: natus anno 1533. die 27. Septemb. ex nobili Bathoreorum de

Somlio

Somlio (altera enim illustrior est Bathoreorum de Bathor) familiâ Vngaricâ. cuius particulam, nobis notam, adscribo.

Stephanus Bathori de Somlio, Palatinus Transyluanię. vxor Catharina Telegdia.

STEPHANVS princeps Transyluaniæ 1561. REX POLONIAE creatus 1576.	*CHRISTOphorus princeps Transyluaniæ post fratrem regem factũ 1576. ⊖ 1581.*	*ANDREAS, Isabellæ reginæ VngariæPalatij præfectus.*
		Stephanus, ad Plescouiã patruo mitauit. — *Balthasar.* — *Andreas Cardinalis Bathoreus*

SIGISMVndus hoc tempore princeps Transyluaniæ.

Epitaphium, quod summam rerum, pro salute & dignitate regni Polonię ab ipso gestarum continet, monumento addendum regni archicancellarius scripsit.

Stephanus Magnus Rex Polonię, Magnusque Dux Lithuaniæ.
Princeps Transyluaniæ
Victor

Victor, Triumphator, pater patriæ
Stephano Palatino, Catharinaque Telegdia.
Natus Anni 1533. V. Calend. Octobris.
Excessit 1586. Idib. Decemb.
Regnauit annos decem, menses VII. dies XII. Iudicia constituit.
Liuoniam, Polotiamq; prouincias recepit.
Fines Lithuaniæ latissimo Velisiensi agro adiecto, protulit.
Perterritis Mechmete primùm, ac deinde Aschlan, Chereis,
Tattarorum Chamis,
Podoliam pacatiorem cultioremq; reddidit.
Amuratem, Turcarum imperatorem
Vt Tattaro pacem legatione missa peteret,
Et Benderia à Kosacis deletâ, nil moueret
Nouaq; castella finibus imponi pateretur,
Opinione virtutis permouit, continuitq;:
Stipendium maius, Transyluaniæ Imperium ineunti Sigismundo, fratris filio, impuberi
Imponere molientem deterruit.
Ianiculam, Valachiæ Regulum, ob iniurias quas vicinæ nobilitati
Intulerat, deijcere adegit.
Thesauroque, qui cum ipso Valacho in potestatem suam venerant, repetentem spreuit

Omnium regum, Principum, ac populorum, Nationumq; cum ora in se conuertisset,

Maiora pro Re hac publica & Christiana animo agitans,

Ac inprimis Moschouiam Polonię Lithuaniæque aggregare studens, sexta die subitò extinctus est.

O mors inuida,
Non extinxisti virtutem Batoream,
Immortalis est

STEPhano Poloniæ Regi, Victori, Triumphatori, pio, patri patriæ &c. Ioannes de Zamoiscio Cancellarius, & summus dux exercituum Regni &c. Vitâ, quam saluti gloriæque eius omnibus bellis periculisque deuouerat, Deo, non se ita volente, superstes, has lachrymas, cum Grisilde Bathorea, vxore sua, regi, patrono, affiniq; suo fundit:

Viueres, Stephane Maxime, viueres,
Nec Polonia, Vngariaq;, ac
Nomen Christianum lugeret,
Nec improbi barbari gauderent.
Sed viuit Deus, haud solido exultabunt gaudio.

Annum obitus his verbis quidam expressserunt.

Stepha-

StephanVs DeI gratIa reX PoLonIæ GroDnæ VIta plé DefVngItVr.

Stephanum secuti sunt, eodem mense Decembri, Mahomet Codabendi Persarum rex, qui toto regni tempore cum Turcis bellum æquo ferè marte gesserat. & in Saxonia Fridericus Saxoniæ Dux Laoburgensis (8. Decemb.) Chorepiscopus Colonienſis: in locum archiep. Gebhardi Truxesii, à PP. priuati, Decanus Argentinensis recens electus. & superiori mense Maio, in Silesia Georgius Dux Lignicensis & Brigensis, Friderici filius, ex antiqua Regum Poloniæ stirpe Piastea, nusquam interrupta sanguinis serie ortus, anno ætatis 63. in his terris viuere desierat.

Sueciæ rex legatos ad fines Moschouię, de perpetua cum Moschis de pace, vel inducijs prorogandis acturos misit. Cùm enim Stephanus Poloniæ rex, Smolensem & Seuerienſem Ducatus, à Theodoro Magno Moscouiæ duce reposceret, aut bello se eos repetiturum ostenderet: Pacem Moschi cum Suecis studiosius conficere cupierunt. tametsi cum Poloniæ etiam rege tractationes, à Moschis institutæ, eaque de causa induciæ, vsque ad Pentecosten sequentis anni 87. prolatę sunt. Irrita autem cùm Suecis

de perpetua pace tractatio fuit. Sed inducię quadriennij solummodo confirmatæ sunt.

Hyems initio anni sæua, & diuturnior solito, in his regionibus, ferè ad solstitium continuata est. Nonis enim Maij primas arborum frondes ac flores: vites verò in nostris hortis frondescentes primùm post idus Maij: exeunte Maio demum ver adultum vidimus. Rursum Idibus Nouembris frigus intensum cœpit, quod paulò post desæuijt. ac secuto mense, inconstantes & perpetuæ acerrimi gelu & subitę remissionis vices, catarrhos graues, alioſque morbos genuerunt.

Anno M. D. LXXXVII. DAVentria, ad Isulam, Rheni brachium eoum, quam superiori autumno, comes Lycestrius Hollandiæ Gubernator, Standleio Anglo tuendam commendarat: præfecti perfidia, Hispanis, cum propugnaculo maiore ad Zutphaniam tradita: Direptionem, bis mille auri pondo persolutis, redemit, 9. Ianuarij. Impulisse Standleum, hominem alioqui prædiuitem, & magnę apud Lycestrium autoritatis, ad hanc proditionem scribitur, quòd coniurationis in Anglia aduersus Reginam initę conscius, ad supplicia acerbissima

ma cæteros rapi intellexisset. Quare vt receptum apud hostes haberet, Gratiam eorum tantę vrbis traditione sibi conciliauit.

Apud Anglos, MARIA Scotię Regina, (cuius vitæ historia apud Buchananum extat) cùm superioribus comitijs Regni Angliæ à senatu Regni ad mortem condemnata esset: nec tamen Regina Angliæ, etiamsi vitæ ipsius insidię à Scota structæ, aliquoties deprehensæ essent, confirmare sententiam vellet: nihilominus tandem, in arce Fotheringhami, 8. Februarij securi percussa, parricidij in maritum ante viginti annos perpetrati, & aliorum flagitiorum pœnas, seras quidem sed iustas, persoluit.

Epitaphium illius Londini editum circumfertur.

Stemmate Cæsareo, & Scotorum clara marito
Rege: ac hoc gnato, qui modo sceptra tenet:
Illa ego, quæ fata sum regali stirpe parentum,
Hoc tumulo paruo contumulata tegor.
Hucq; meæ mentis prauæ imperiosa potestas
Et mea me torsit, proh, temerata fides.
Stemmata nil faciunt, nil prodest sanguine claro
Censeri, si animum deuius error agat.
Disce sequi rectum, iustumq;, tenentia colla
Marmora qui fato nostra refecta vides.

Discite mortales, quibus est res conscia nostri
Consilij, in dubijs esse pericla vijs.
Atq; meo exemplo moniti disistite. Nam vos
Certa, sed incerto tempore, pœna tenet.
Bis sapit alterius qui exemplo motus: & ipso
Sit satis hoc nostro vos didicisse malo

Nata enim fuit, patre Iacobo V. Stuardo, Scotiæ rege: matre Maria, Claudij Lotharingiæ & Guisiæ Ducis filia. Ideò stemmate cæsareo clara esse dicitur, quòd multos olim Cæsares familia Caroli Magni, à quo Lothæringi genus suum deducunt, orbi Christiano dederit. primùm Francisco II. Galliæ regi nupsit 1559. deinde Henrico Stuardo sobrino suo 1564. Eadem enim vtriusque auia fuit, MARgarita, Henrici VII. Angliæ regis filia. cuius prior maritus Iacobus IIII. Scotiæ rex, in prælio ab Anglis occisus (1513.) filiolum bimum Iacobum V. reliquit, patrem Mariæ Reginæ Galliæ & Scotiæ. Posterior Archibaldus Duglassius, pater Margaritæ, ex qua Matthæus Stuardus in Anglia exul, Henricum Stuardum, Mariæ præsentis Scotiæ reginæ maritum, Iacobi VI. patrem, procreauit.

Iacobus

Iacobus IIII. Scotiæ Rex. — *Margarita Henrici VII. Angliæ regis filia* — *Archibaldus Duglasius*

Iacobus V. Vxor Maria Guisia.

Margarita Vxor Matthæi, Stuardi.

MARIA regina Scotiæ, ab Anglis delata 1587. — *HENRICVS Stuardus Rex Scotiæ, ab vxore necatus 1566.*

IACOBVS VI.

præsens Scotiæ Rex, natus 1565. 19 Iunij.

Cùm autem fastidito posteriore marito & structis vitæ ipsius insidijs, tandem dolosè interfecto, Iacobum Hepburnum Bothueliæ comitem, quem viuente etiam marito, in familiaritatem intimam admiserat, præcipitatis nuptijs duxisset: indignitate tanti flagitij Proceres aliquot parricidij vindices, moti, armis aduersus reginam captis, deditam eierare regnum, & filiolo infanti, constituto prorege, tradere coëgerunt, 1567. die Iacobi. Ipsam verò in Leuini lacus insula custodiendam relegarunt. Vbi persuasis custodibus, sequenti anno elapsa (1568. 2. Maij.) & Hamiltoniorum copijs pro ea collectis, à prorege dissipatis, ad maternos in

Galliam amicos proficiſci cogitans, per Angliam iter inſtituit; vbi detenta, cùm ſubinde PP. etiam Romano inſtigante, conſpirationes aduerſus Angliæ Reginæ ſtatum, Scotę liberandę & vtriuſque regni ipſi tradendi cauſa, inſtitutę retegerentur, diligentius cuſtodita eſt: donec tandem aliquoties etiam ſtructis vitę Reginæ inſidijs, ſuperiore hyeme ineunte, (1586) in iudicium ſenatus regni Angliæ ducta, & ad ſupplicium condemnata eſt, quod hoc demum menſe, præſenti & forti animo ſubiuit.

Eodem menſe, DOrothea, Henrici Iulij Ducis Brunſuicenſis vxor, Auguſti Saxonis filia, primi partus doloribus ſuperata, cùm filiolam Dorotheam Hedwigen enixa eſſet, magnum ſui deſiderium ac luctum, marito, & ſocero, ac ſocrui, relinquens, deceſſit, Idibus Febr.

Friderici etiam VVilelmi Saxoniæ ducis, Vinariæ ſedem aulæ habentis, duo filioli, Iohannes VVilhelmus (23 Ianuarij) & Fridericus quatriduo ante, infantes ex hac vita ſublati ſunt, cùm ante quinque menſes ſororem primogenitam in cœleſtem patriam pręmiſiſſent.

In Liuonia, Optimus Princeps, verę Religionis, iuſtitiæ & pacis ſtudio, & ſumma

ma moderatione, clementia; & manſuetudine erga domeſticos & ſubditos planè paterna illuſtris, GOTHARDVS CVRLANDIÆ & Semigalliæ Dux, placido & beato fine vitam in terris ſuam concluſit, 17. Maij. relictis ex Illuſtriſſima coniuge Anna, Alberto Duce Megapolitano nata, Ioannis Alberti & VLrici ſorore, duobus filijs FRIDERICO, qui in gubernatione Patri ſucceſſit; & VVilelmo. & totidem filiabus; ANNA (Alberto Razeuilo principi Lithuano, Nicolai filio, Lithuanię archimarſchalco nupta) & Eliſabetha.

Fridericus etiam Holſatiæ Dux, Adolphi filius, viginti annorum adoleſcens, optimæ ad virtutem indolis, intra anni vertentis ſpatium, (15. Iunij) patrem ſecutus, & Sleſwici humatus eſt.

MAgdeburgæ, inter Ioachimum Fridericum archiepiſcopum, & Iulium Ducem Brunſuicenſem, de finibus in præfectura Calenſordenſi, & alias controuerſias, Saxonis & Brandeburgici electorum conſiliarij interceſſores, amicè coponere & ſedare, irrito exitu, ſtuduerunt, menſe Maio.

Electores ipſi, ac cæteri Saxoniæ, Brandeburgici, & Haſſiæ Principes, Naoburgi ad Salam congreſſi (4. Iulij) Hæreditarium

fœdus, inter familias illas iam olim initum, de quo supra diximus, renouarunt & confirmarunt, & de auxilijs Henrico Nauarræo regi in Galliam mittendis aut negandis, deliberauerunt.

IN POLONIA, rebus humanis exempto rege Stephano, præcipuos regni ordines, VVarsauiam, archiepiscopus Gnesnensis, Stanislaus Carnicouius, regni primas, conuocauit: vt de loco, tempore, & modo electionis noui regis, & pace ac tranquillitate publica, interregni tempore conseruanda, constitueretur. Vbi inter cæteros articulos, hi quoque, tametsi postea minimè à præcipuis, qui eos condiderant, seruati, de procerum qui aderant consilio, sanciti sunt: vt rex nouus, non nisi de vnanimi omnium ordinum consensu & concordibus suffragijs electus & comprobatus, publicè renuncietur. ac eum, qui factiones alere, vel dona & munera noui regis eligendi causæ accepisse, vel alias practicas exercuisse deprehendatur, pro hoste patriæ habendum esse. Promitunt etiam, se religionis pacem in electione regis Henrici sancitam sanctè seruaturos, & vulnera exorbitantiæ, vt nominant, tàm priuata quàm publica, etiam ciui-

ciuitatum sublaturos esse, antequam ad electionem progressum fuerit. Semota ex Thesauris regijs Sigismundi & Stephani, & alia Reipublicæ bona, per externos occupata, regni Thesaurario restitui iubent. archicancellario Zamoiscio imperium summi ducis exercituum regni abrogant: & Herbordo cuidam, officium illud, in finibus regni, in Volhinia, Podolia, & reliqua Russia excubandi cum 3000. equitum commendant. Regi inter cæteros articulos in coronatione proponendum esse, vt decretum de proscriptione Christophori Sborouij aboleat, eumque in integrum restituat. Hæc ex Stanislai comitis à Gorca, & Sborouiorum fratrum ac cæterorum in eo conuentu præsentium voluntate, multis ac præcipuè episcopis paci religionis contradicentibus, & absente cancellario, & alijs, constituta sunt.

Electionis verò comitia, VVarsauiam, ad diem 30. Iunij Gregoriani, seu 20. nostri, indicta, ad quæ aliquot proceres armati & præsidijs equitum ac peditum mediocribus muniti, accesserunt. inter quos, Ioannes Zamoiscius archicancellarius, prope Colo, seu septum conuentibus procerum in campo cis Vistulam, dimidio à VVarsauia milliari, destinatum; (quod, vt Homerus consessum

sum senatorum ἱερὸν κύκλον, Poloni, Colo, seu Rotam nominant) castra metatus est. Huic capitales cum Sborouiorum familia, ob Samuelem Sborouium, capitis supplicio, iussu regis, affectum, inimiciciæ intercedebant. quibus dirimendis: & disputationibus de Articulis in proxima superiore conuocatione VVarsauiensi sancitis (quorum aliquos in prejudicium sui factos Zamoiscius & ipsi coniuncti improbabant)& Lithuanorum legatis, Vistula fl. à Polono senatu semotis, ad communes cum Polonis deliberationes aggregandis: & Grauaminibus prouinciarum ac ciuitatum cognoscendis: aliquot hebdomadarum tractationes, irrito exitu comsumptæ: antequam ad electionem ventum est.

LIThuani se non ad bellum, sed ad liberam & pacificam noui regis electionem profectos ostendebant. Ideoque nisi arma prius deposita, & controuersiæ sedatę, & grauamina illorum sublata, & iura ac libertates suæ redintegratę, & Liuonia, Volhinia, Podlassia prouinciæ, membra magni ducatus Lithuaniæ, restitutæ essent, in senatum Polonorum venire recusabant. querebantur insuper, Cancellariam Lithuanorum, & alia officia, multipliciter per Polonos

lonos turbari: & ipsis non consentientibus duos reges Henricum & Stephanum electos & coronatos; marchionem ducatui Borussiæ præfectum: legatos nomine regni Romam missos esse, sicut & proxima superior conuentio VVarsauiæ ipsis insciis instituta fuisset.

BORVSSI, multis nobilibus ac benemeritis bona sua eripi; varias exactiones & Telonea, in aquis & terra institui: dignitates & officia, præteritis indigenis, conferri externis: causas notabiles extra Borussiam in regni comitijs, non adhibito Borussorum consilio, sæpè decidi; iura terrarum Borussiæ in dubium vocari; monetam non probam cudi: collegio VVarmiensi ius electionis liberum adimi? à rege Danico, ciuitatis Dantiscanæ naues, ob Reipublicæ Polonæ priuatis debita, detineri: ac imprimis iuramentum speciale à Regibus terris Prussiæ non amplius præstari, sicut D. Casimirus & Sigismundus pro se & successoribus promisissent, questi sunt.

RIGenses, religionem Augustanæ confessionis, intrusis contra expressam cautionem sibi à rege Stephano datam, Iesuitis labefactatam, restitui; & solam in vrbe conseruari: priuilegia Reipublicæ, sublatis ambiguis clausulis, quæ in contrariam sententiam

tiam, ab ea, quam ipsi ex verbis colligant, alij detorquerent; proprijs & perspicuis verbis scripta confirmari: castellum ad Dunæ ostium excitatum remoueri: aliæ prouinciæ & ciuitates alia flagitabant. Tandem verò hæ prouinciarum & ciuitatum querelæ ferè omnes in suspenso relictę; & proclamata tertio Augusti pace publica, postridie exterorum regum legati auditi sunt.

PRæcipui autem competitores regni, primùm ex familia Austriaca, Ernestus, Matthias, & Maximilianus, Rodolphi Imperatoris fratres, fuerunt. quos Cæsaris Rodolphi, Philippi Hispaniæ regis, Electorum imperij omnium legati, Polonis commendabant. & partibus suis addictos, in maiore Polonia, Stanislaum comitem Gorcanum, & totam Sborouiorum familiam, cum magna prouinciæ illius nobilitate, habebant.

SIGISmundo autem, Ioannis III. Suecorum regis, & Catharinæ Iagellonicę filio, addictissima Poloniæ Regina matertera fuit, quæ magno studio proceres, vt eum regem crearent, sollicitabat. cui, eximia familiæ Iagellonicę in Rempublicam Polonam merita præcipuè suffragabantur, & fauorem apud multos conciliabant, vt iure quodammodo regnum illi tribuendum esse videretur.

Tertius

Tertius erat, Theodorus magnus Moscouiæ Dux, qui vniuersam ditionem suam, a finibus Liuoniæ ad mare Caspium pertinentem, adiuncturum se Regno Poloniæ, si Rex eligeretur, promittebat. Hanc conditionem Lithuana potissimùm nobilitas, & alij cupidè amplectendam censebant, tametsi seriò Moscum hæc offerre vix sibi persuadere alij cordati poterant.

Quarto loco habebantur, qui Piastum seu ex corpore Regni aliquem, omnibus exteris præferendum censebant. Quorum sententiam multi non postremæ autoritatis Senatores probabant. Imprimis enim regno expedire visum est, Regem, qui linguam mores & iura Regni perspecta & cognita haberet, & constitutum Gubernationis cursum ac modum continuare posset, designari. Disputabant, exteros appetere Regnum non vt regni, sed sua commoda & potentiam augeant, & suos ex regni prouentibus ditent. Non tutum esse, cum exteris externas quoque vires ac exercitus in regnum attrahere. Molestissimum verò & intolerabile, quod in conferendis dignitatibus, officijs & honoribus, externi indigenis præferrentur. Exemplo esse Stephanum regem defunctum, cuius potentia ita

iam

iam excreuiſſet, vt cum Hungaris ſuis vniuerſo regno terrori eſſet. Has & ſimiles rationes multas, magno cum applauſu multi excipiebant .& inteſtina procerum æmulatione ac inuidiâ, qua alij alios ſibi præferri ægerrimè laturi erant, ſublata, indigenam Regni aliquem, ad hoc faſtigium dignitatis euehi, maximè optabant.

Turcici etiam Imperatoris nomine, Veſirius Baſſa, proceres Polonos hortatus fuerat, vt amiciciam, coniunctionem ac obedientiam, Portæ excellentiſſimę, hactenus ab ijs, tùm in electione Regis, tùm alijs negotijs præſtari ſolitam, deinceps etiam tuerentur, & liberrima ſua electione, vnum ex fratris Stephani filijs, vel VVeiuuodam Tranſyluaniæ, regem deſignarent.

Sed Legati, pontificis Romani, Hannibal à Capua: Cæſaris Rodolphi, Stanislaus Pawlouius epiſc. Olomucenſis, Carolus dux Munſterbergenſis: regis Hiſpaniæ, VVilelmus de S. Clemente: archiducum Auſtriæ (quos Ioannes Sborouius honoris cauſa ad curiam deducebat) pro Cæſaris fratribus intercedentes:&Moſchici,ſuum principem Theodorum proponentes: Item Sigiſmundi Tranſyluaniæ principis, VVolffgangus Couaſocius cancell. die 4. Auguſti publicè

publicè auditi sunt. Postride, IO Annis III. Suecorum & Gothorum regis oratores, ERICVS SPARRE regni procancellarius, & comes Ericus Brahe; pro Sigismundo Sueciæ principe, aduersus Moschum, perorarunt. Hi ob inuersum in audiendis legatis ordinem, initiò cunctati, venire recusarant, priusquam protestationem, de Regis sui præeminentia, in Senatum misissent, quam in iudicio castrensi VVarsauiæ postea, autoritate publica confirmarunt. Post hos, electorum imperij Germanici, qui Austriacæ familiæ, ex qua ipsi tot seculis iam Imperatores Romanos creassent, rationem præ cæteris haberi petebant: & Friderici Curlandiæ ducis nuncius, viduam matrem & defuncti principis heredes Senatui regni commendans, & libellum Grauaminum, quæ tolli petebant, offerens: in generali colo, deliberationibus publicis primùm destinato, legationes suas exposuerunt.

SECesserant autem inde, octiduo ante, ob contumelias verborum, archiepiscopo, & Palatino Masouiæ, à Posnanensi & alijs illatas: & peculiarem conuentum, in eodem campo, vicino in loco, (quem nigrum Colo nominabant) senatores aliquot instituerant. quibus se, Palatinus Cracouiensis An-

V dreas

dreas Tenschinius; Masouiensis, Stanislaus Critius; Plocensis, Georgius Zilensky; Kyouiensis, Constantinus dux Ostrouius, qui paulò post ex comitijs discessit; & Marscalcus regni, Andreas Opalinius; Thesaurarius, Ioannes Dolscius; vicecancellarius regni Albertus Baranouius: & archicancellarius, Ioannes Zamoiscius; adiunxerant. Lithuani verò, totas iam sex hebdomadas, trans Vistulam, peculiaria castra, & senatum, ab vtrisq; seiunctum, habebant.

QVI cum archicancellario & Marscalco regni conueniebant: quæsitis ordine suffragijs, partim Piastum, plurimi verò Sigismundum, Sueciæ regis filium, regno vtilissimum fore iudicabant, quòd priori familiæ Regum Iagellonicæ, optimè de regno meritæ, propinquissimo sanguine iunctus, & indoles in eo præclarissima, & linguæ Polonicę peritia esset. & non modò vicini regni amicitiâ & fœdere Poloniam muniturus, verùm etiam non paucas & graues controuersias, quæ sereniss. Sueciæ regi, cum regno Polonię intercederent, sublaturus esset. & nullus potentior vicinus irritari vel offendi electione eius posse videretur. Hanc nominationem, & iudicium, de singulis competitoribus, suum, cæteris, apud Gorcanum

canum & Sborouios, congregatis, significant, eorumque declarationem flagitant. Quam cum aliquot dies distuliſſent, tandem dari non poſſe, niſi in communem ſenatum cæteri venirent, reſponderunt.

Archiepiſcopus autem, quatuor candidatos, Piaſtum, Moſchum, Auſtriacum, & Suecum, in ordinario colo, propoſuit: addens tamen, nolle ſe cum Germano ex comitijs domum redire. Sciſcitanti autem Gorcano, an non Suecum etiam pro Germano haberet? reſpondit, hunc ex Polono ſanguine ortum ſibi videri.

Die 9. Auguſti, Archiepiſcopus Gneſnenſis & cæteri epiſcopi (excepto Kyouienſi) & proceres, qui Maximilianum auerſabantur, relictis Gorcano & Sborouianis, in alterum conuentum, vbi Cancellarius, archimarſchalcus, & alij Senatores præcipui, Suecum deſignarant, tranſeunt, & circa meridiem, SIGISMVNDVM Sueciæ principem, REGEM renunciant. Gorcanus, Sborouiani, & illis adhærentes, in ſuo ſenatu contra teſtati, ad Maximiliani electionem procedunt: & decretum regis Stephani, de Chriſtophori Sborouij proſcriptione abrogant. contra quam abrogationem, qui Suecum elegerant, ſcripto poteſtantur.

Lithuani etiam nobiles plerique, Maximilianum regem prorsus recusantes, Moschum nominarant. postridie missis ex suo senatu ad Sborouianos, palatino Trocense Ioanne Lebowicio, & vicecancellario Leone Saphia, hortantur, vt à nouo rege eligendo abstineant: se enim apud alteram quoque partem laborare, ne vlterius progrediantur, sed electionem in aliud tempus & locum magis opportunum differant. cumque tres reges propositi sint, Suecus, Maximilianus & Moschus: si alioquin amicè conuenire non possint, SORTE potius, præmissa inuocatione Dei, iuxta exemplum scripturæ, VNVM ex his eligendum censent. Postridie etiam, Georgium Radeuilum cum fratre, qui Austriacum nominantibus se adiunxerant, ex senatu euocatos orant, vt nouam electionem impediant. Verùm his admonitionibus spretis, qui in Colo erant, ineunte iam nocte, diem 12. Augusti sequente, MAXIMILIAnum Austriacum, Regem, voce Kyouiensis episcopi Iacobi VVronieci, promulgant: & postridie in Franciscanorum templo suburbano, Doxologiam canunt: Andrea Sborouio aulæ Marschalco, ad aram denuo Maximilianum renunciante: Cardinale verò Radeuilo sacrum celebrante.

Vtriusq;

Vtriusque verò regis nominationem, magna pars nobilitatis Lithuanicæ (Senatoribus tamen compluribus, præter Cardin. & fratrem, Sigismundo suffragantibus) omnino improbabat. quæ communi cùm cæteris diplomate, duos reges non legitimè & libera electione, sed vi & armis præcipuarum familiarum, oppressa suffragiorum libertate, designatos, ideoque ad suos fratres domi de hac iniuria suæ libertati illata se referre, & nouam ac legitimam electionem instituere & constanter tueri velle, testati sunt.

Interea, qui Maximilianum Regem crearunt: conditiones & pacta electionis, cum Rodolphi Cæsaris & Philippi Hispaniæ regis Oratoribus ineunt, & decretum electionis, per regni proceres: episcopum Kyouiensem: Ioannem Sborouium Castellanum Gnesnensem & Graudentium: Alexandrum ducem Pruncensem & alios Maximiliano intimandum, conficiunr. Cùm autem Articuli conditionum & pactorum, inter ordines illos regni Poloniæ, & domus Austriacæ legatos conuentorum, typis excusi extent: summas breuiter adscribam.

Promittit domus Austriaca, per legatos:

octingenta millia aureorum; in regni Poloniæ fiscum à se depositum & solutum iri. 200. millia statim post electionem publicatam, vt inde miles ad finium regni defensionem, si Turca fortè aliquid moturus esset, alatur. altera ducenta M. post coronationem. reliqua suo tempore, vt cum ordinibus conuentum fuerit. Pacta & fœdera inter regnum Poloniæ & Turcam olim facta rex seruabit & renouabit. Sin contra pacta Turcus apertè arma moueat: Romani PP. vniuersæ domus Austriacæ, omniumque illius amicorum auxilia, Polonis præsto erunt. ac vt hæc electio etiam ipsi Turcæ formidabilis existat: Rom. PP. Cæsar, Hispanus, cum præcipuis Christiani orbis regibus, & imperio Romano, fœdus facient, qui cum regni Poloniæ & Lithuaniæ confœderatis, à Polonia & Lithuania Turcos depellent: etiam Theodoro Moschouiæ duce, in communem confœderationem per Cæsarem adducto. In limitibus regni, Podoliâ præcipuè, arces & propugnacula sumptibus domus Austriacę intra triennium excitabuntur. Rex electus, pacem publicam & priuatam in Polonia fideliter tuebitur, & prouinciarum grauamina tollet. Libertates, iura, priuilegia ordinum, & confœderatio-

rationem inter dissidentes de religione, conseruabit & augebit. Officia, dignitates, & feuda bonorum regalium, nullis extraneis, sed indigenis Polonis & Lithuanis conferet, & alienigenis collata recuperabit. controuersias de Prussia & Liuonia, inter Romanum Imperium & Poloniæ regnum existentes, intra quinquennium Imperator tollere studebit. Naruicam negociationem & societatem ciuitatum Hanseæ restaurabit. De Barensi & Rosanensi ducatu & cæteris Bonæ Reginæ Poloniæ reditibus Neapolitanis, cum rege Hispaniæ aget, vt iustis conditionibus tandem cum Poloniæ regno transigatur. Amiciciam inter vicina Poloniæ, Vngariæ, Boëmiæ regna, & commercia, cum Romani Imperij & domus Austriaciæ subditis instituta, conseruabit. Academiam Cracouiensem clementissimè fouebit & prouehet. Quinquaginta adolescentes nobiles Polonos, studijs literarum vel militiæ deditos, in alijs nationibus suo sumptu alet. Polonis & Lithuanis fortibus viris, domui Austriacæ operam nauantibus, aditum ad functiones & equestrium ordinum dignitates & beneficia apud Hispaniæ regem patefaciet. Debita Sigismundi Augusti Poloniæ regis, sine fisci detri-

mento soluet, & fidem regiam liberabit. Postremò, vniuersa domus Austriaca, omnibus in rebus, dignitatem, amplitudinem & felicitatem regni Poloniæ omni diligentia & studio prouehet & ornabit. His conditionibus & articulis omnibus & singulis integrè ac constanter se satisfacturum esse, Iuramento solenni, Olomuciæ, in summo templo, die Lamberti, 17. Septembris, 27. Gregoriani, Maximilianus, in legatorum Polon. & amplissima præcipuorum domus Austriacæ procerum, qui vna subscripserunt, præsentia, confirmauit.

Ab altera parte, Sueciæ regis legatis, Articulos, Poloniæ regni proceres præcipui ac plurimi, qui Sigismundum regem designarant, proponunt: vt perpetuum fœdus sit inter Poloniæ & Sueciæ regna aduersus vtriq; finitimos hostes. Mortuo Ioanne Sueciæ rege, filius Sigismundus Sueciæ regnum retineat, & ad primogenitos hæredes transmittat. &, si res ita feret, de consensu ordinum Poloniæ & Lithuaniæ, in Sueciam se conferre possit. Liuoniæ partem, Sueciæ regi hoc tempore subiectam, toti corpori Liuoniæ, atque ita coronæ regni Poloniæ, Sigismundus restituat & vniat. de quo cùm legati Sueciæ regis mandata se non habere ostenden-

ostenderent: Regina Poloniæ Anna (pignoridatis omnibus bonis suis) fideiubet. & scriptum obligationis suæ documentum petentibus regni proceribus tradit. Classem armatam, in regni Poloniæ & Lithuaniæ vsus, suo sumptu in mari instruet. Machinas bellicas, certò numero, cum omni necessario instrumento, Polonis aduersus Nouogardiam, Plescouiam vel Smolensiam aliquid tentantibus, suppeditabit, & ad VVendam captas relinquet. Summam 124. M. Ioachimicorum, Sigismundo Augusto olim à Ioanne Sueciæ rege mutuo datam: præterea dotem & hæreditatem paternam & maternam, & quęcunque alia sibi à regno Poloniæ & Lithuaniæ, etiam ratione ducatus Barri ac Rosanensis in regno Neapolitano deberi existimabit, regno donabit. Arces quinque munitas, in finibus regni, ex arbitrio ordinum, suo sumptu ædificabit & instruet. Nullos peregrinos homines, nisi paucos cubiculo illius seruientes, in regnum adducet. & hos, de suo, stipendijs persolutis, prima occasione iterum dimittet. Cùm Sueciæ regnum gubernabit, nullos regni Sueciæ consiliarios, consilijs aut negotijs regni Poloniæ adhibebit. Corporis etiam custodes, eorumq; præfectos, nul-

los; nisi Polonos & Lithuanos natos, constituet. Nullis externis, prædia, dignitates vel officia vlla, sed Polonis & Lithuanis natis, iuxta regni statuta, conferet. Stipendia militibus in Liuonia & Podolia, sub rege Stephano debita, & alios ad defensionem finium & regni, donec Cracouiam veniat, impensos sumptus fideliter solui in coronatione curabit. Confœderationem inter dissidentes de religione, non solùm vt Henrici & Stephani tempore factum est, conseruabit: verùmetiam executionem aduersus violatores, iuxta formam processus præscriptam, adiunget. Iura, libertates, priuilegia, & statuta regni, & in speciè Articulos in coronatione regis Henrici sancitos, omniaque alia, quæ conseruandis & augendis eorum libertatibus & iuribus seruient, & Maiestati regiæ in coronatione proponentur, confirmabit & tuebitur.

Ad Sueciæ principem accersendum, & per mare deducendum, Castellanus Podlassiensis Martinus Lisnowolski missus: Qui verò Dantisci eum exciperent, & præstito iuramento ad coronationem deducerent, Episcopi, Vladislauiensis, Hieronimus Rosroseius, & Posnanienſis, ac Prçmisliensis, Albertus Sbaranouius regni vicecancellarius; Palatinus Calisiensis, & Castellani, Rauensis

Rauensis, Radomius, & Socazouiensis, & ex singulis Palatinatibus, aliquot nobiles, deputati sunt.

Ioannes III. Sueciæ rex, cùm de discordi electione Polonorum, nono post renunciatum VVarsauiæ Sigismundum die cognouisset: aliquot dies, mæsto ac sollicito animo, & à filij, quem vnicum & carissimum habebat, dimissione, si non prorsus alieno, certè ancipiti ac dubio hærebat: multaque dura suo tristi cum corde putabat, quæ dehortabantur, ne ex regno, & conspectu ac complexu suo, Filium, quem ardenti στοργῇ, non tàm ob sanguinis vinculum arctissimum, quàm indolem optimam & virtutem, vnicè diligebat, in Poloniam mitteret, & dissidijs ac bellis, quæ ex discordia procerum oritura verebatur, obijceret, cùm certum domi & pacatum ac tranquillum regnum iam possideret.

Offendebatur etiam inuerecunda petitione eius Liuoniæ partis, quam à Nerua ad Reualiam & Habsalam vsque amplissimam, & 40. ferè mill. Germ. patentem, tenebat. Iniquissimum enim censebat, si Filium vnicum, Polonis petentibus Regem daret, & creditum ingens, vnà cum dote & hæreditate coniugis materna & paterna, sibi debitum, regno donaret: Liuoniæ etiam

etiam, à se tantis laboribus curis & sumptibus bello captę, & ex Moschi ore & faucibus ereptæ, iacturam facere. Itaque hac se conditione, vt proprium regnum imminueret, filium in Poloniam missurum, constanter negauit. Sigismundus etiam externo ac electitio se regno malle carere ostendebat, quàm auito & hæreditario, partem quantumuis exiguam, detrahi ac pręcidi.

Sed oportunè, illis ipsis diebus, ERIcus Sparre, procancellarius, qui summa fide, industria & dexteritate causam in Polonia egerat, Dantisco ad regem traijciens, de omnibus Polonicis actionibus, & toto rerum statu regem edocuit. Accedebant Zamoiscij, Poloniæ archicancellarij, ad Sigismundum literæ, quibus Cracouiam, vnà cum corona & insignibus regni, iam à se teneri, & in Sigismundi potestate esse, significabat: ac vt quamprimum veniret, nec metu aut inertia regnum oblatum amitteret, hortabatur.

Tandem igitur, paternum regis affectum, Filij honor, & multorum consilia, & publica vicinorum regnorum vtilitas superauit, vt Filium, adiuncto consiliorum moderatore fido, prudente, & graui, Erico Sparre procancellario, & alijs regni proceribus

ribus ac nobilitate præcipua, cum classe 24. nauium armata, traijcere ad Dantiſci portum concederet: ita tamen, vt nauem ante non egrederetur, ſed in Sueciam potius rediret, niſi hunc de Liuonia articulum, in iuramento præteriri, proceres regni Poloniæ permiſiſſent.

Appulit igitur ad Viſtulæ oſtium Sigiſmundus, die 19. Septembris, & totos octo dies in naui manſit, donec negocio cum legatis regni tranſacto, tandem 27. Septembris Oliuæ, iuramentum ſolenne, regibus nouis proponi ſolitum, ſalua ſua proteſtatione, de Liuoniæ parte quam Sueci tenent, Coronæ Polonicæ non cedenda, præſtitit. Poſtridie naui ad pontem Motlauæ ſubuectus, veſperi vrbem introiuit. ac biduo poſt, Diplomate ſolenni, pacta conuenta cum legatis Sueci in comitijs VVarſauienſibus, & iuramentum præſtitum, inſerta mentione proteſtationis de ea parte Liuoniæ, quę regno Sueciæ ſubeſt, confirmauit. Itaque Cal. Octobris, Decretum electionis, in templo Dominicano, ſumma ſolennitate Sigiſmundo traditum eſt. Qui nouem adhuc dies Dantiſci commoratus, etſi nuncios de Maximiliani in Poloniam expeditione iam ſuſcepta quotidiè accipiebat: tamen nihil-

nihilominus, iter cum sorore Anna, reginam Poloniæ materteram inuisura, susceptit, 10. Octobris.

Interea, qui Cracouiæ pro rege ac regno excubabant, literis ad Pontificem Romanum, ad Cæsarem Rodolphum, ad electores imperij, ad Maximilianum ipsum datis, Sigismundum Regem à maxima procerum & nobilitatis parte legittimè electum: Maximilianum verò, à paucis. & in his quibusdam proscriptis & decoctoribus nominatum scribunt, ac orant, vt publicæ tranquillitati & paci regni & totius Christianitatis suo loco singuli consulant. Palatinus etiam Cracouiensis, Andreas comes Tensinius: Cancellarius & ductor exercituum regni, Ioannes Zamoiscius: & capitaneus Cracouiensis Nicolaus Zebridouius, nominatim Episcopum Vratislauiensem; totius Silesiæ præfectum, de veteribus inter vicinas gentes pactis & fœderibus admonent, & suum pacis studium significant. Sin verò quis armata manu inde ad Poloniæ fines veniat, ostendunt se communi gentium iure vsuros, & vim vi repulsuros. Maximilianus verò nihilominus ad Cracouiæ viciniam initio Octobris accedit, & confirmatione priuilegiorum, alijsque diplomatibus ad conuentum ordinum Visliciensem, præterea

terea literis ad Cracouiensem Clerum, Academiam & vrbis Senatum missis, se recipi petit. Sed in eandem sententiam ab omnibus respondetur, se Sigismundum regem habere, qui iam regnum ingressus, per Borussiam aduentet: cui fidem semel datam violare nolint.

SIGismundus Petricouiam vsque progressus, literas à Maximiliano ad Cracouiam desidente, obuias habuit, quibus eum hortatur, vt ex regno sibi legittimè delato, cuius possessionem, fretus DEI ope, & iusticia causæ, & Christianorum principum auxilijs, adijsset; in quod Suecum leui persuasione & temerario quorundam consilio adductum venire cerneret; discedat. Sigismundus vicissim, se non temerario consilio, sed ab ordinibus regni, qui VVarsauiensibus comitijs ipsum frequentissimis suffragijs regem creauerint, vocatum venire; ac se meliori iure niti, recitata vtriusque electionis historia, ostendit. ac his verbis tandem concludit: Nos quidem, Deo benè iuuante, Cracouiam progredi ad capessenda insignia Regni constitutum habemus: quò nos fauor hominum studiaque deducunt: priusque fortunas omnes, vitamque ipsam in quoduis discrimen exponere, quàm voca-

vocationem diuinam negligere, tantaque ſtudia ac voluntates hominum, regnumque ipſum deſerere, parati ſumus. S. V. autem iterum atque iterum rogamus, vt quemadmodum in hunc locum ſibi periculoſum deducta eſt, ab hominibus ijs, qui ad res ſuas conſtituendas, S. V. copijs & impenſis abutuntur, neq; vllam S. V. habent rationem: ita iam, conſilio, prudentiaque ſua vtatur; maioremque ſalutis & incolumitatis, quàm eius dignitatis, cuius inani ſpecie quadam hic S. V. detinent, rationem ducat: atque ex regno, quod propter tot hominum alienas voluntates, Dominum ſibi minimè deſtinaſſe, facilé poteſt intelligere, ipſa decedat, copiaſque iſtas ſuas deducat. Qua re ſanè & ſibi & publicæ tranquillitati optimè S. V. conſuluerit. Datæ Petricouiæ ex itinere, die 7. Nouemb. Anno 1587.

Cùm autem, illis ipſis diebus, præcurſores Poloni, ad exploranda itinera præmiſſi, à Maximiliani ducibus, repulſi, & Andreæ Opalinij equites quidam, non procul à Pritzporto oppreſſi eſſent: Sigiſmund⁹, cùm aliquot dies Petricouiæ ſubſtitiſſet: à recto itinere Cracouienſi, Sendomiriam verſus parumper deflectit, donec Poloni, dignitatis & ſecuritatis electi regis rationem habentes

habentes, ex vicinis Palatinatibus armati ad se maiores copias adducerent.

MAXIMILianus verò, vt aditu Sigismundum prohiberet, arctiore obsidione Cracouiam pressit, eamque occupare, quorundam in vrbe secum vel seriò vel simulatè conspirantium operâ, conatus est. Sed cùm Zamoiscius archicancellarius&generalis exercituum regni dux, cum præsidio vrbem fortiter defenderet; exercitus Maximiliani depulsus, multi interfecti, & tormenta bellica, & aliquot signa militaria, hosti extorta sunt. Maximilianus igitur, soluta vrbis obsidione, ad Silesiæ fines exercitum reduxit, vt maioribus in Germania comparatis copijs, denuò regnum Poloniæ fugitiuum persequeretur.

Interea apparatis in vrbe arcubus triumphalibus, & alijs ad excipiendum regem nouum necessarijs, Sigismundus, à regni archimarscalco, Andrea Opalinio, & cæteris proceribus deductus: die 29. nostri Nouembris, Velicia oppido salinario digressus, &in campo,à proceribus,Polonica oratione, per Laurentium Goslicium episc. Podoliæ, exceptus, Polonicè respondet, & Cracouiam, à meridionali vrbis parte, per Casimiriam, Vistula fl. ab vrbe seiunctam, in-

greditur. vbi in aditu pontis, Vistula fl. solennibus verbis, nouum regem excipiens, & nulli alteri se aditum in vrbem Cracouiam concessurum testans, in arcu repræsentatus est. Inde per suburbium Stradomiam arci subiectum, quod Rudaua fl. & Vistula ferè insulam efficiunt, traductus; non rectà in arcem, sed ad dextram, per fossas vrbis deflexit, partim vt militi, qui omnis per acies instructus eum expectabat, spectandum salutandumque se præberet, partim vt per frequentissimas vrbis regiones ingressus ac totam vrbem emensus, & ipse se vrbis amplissimæ spectaculo, & vrbem vniuersam desideratissimo sui aspectu expleret. Itaq; ambitu capto, in campum primò, in quo diuersæ acies militum explicatæ eum expectarunt, profectus est. Eodemque ferè loco, ab Academia etiam, atque vrbano magistratu Cracouiensi, qui cum aliquo numero equitum è ciuibus lecto, prodierat, exceptus fuit. Inde igitur per subiectum vrbi campum, mediasque acies militum: Ioanne Zamoiscio, vt qui cum imperio militari esset, singulas turmas, & cohortes, ordinumque ductores illi commendante, inuectus ad Clepardiam, quod boreale suburbium est, peruenit. In ingressu, congeries armo-

armorum, quæ Maxmiliani militibus vrbem oppugnantibus nuper adempta erant, cum hoc titulo ſtructa fuit:

SIGISMVNDO III. electo Poloniæ & Des. Sueciæ regi, quòd eius auſpicijs, Maximiliani archiducis Auſtriæ miles, ad oppugnandam vrbem miſſus, victus; magnaq; cum cæde, tormentisq; ademptis, repulſus ſit; Dux & milites, qui pro dignitate Regia et libertate patriæ excubarunt, vt de Chriſtianis, partim etiam ciuibus, mæſti; vt verò neceſsitate ac vi ſibi illatâ; eâ ſuperatâ, DEO, victoriæ autori, gratias agentes P P.

A latere, maiora tormenta octo, minorumque currus duo, vexilla totidem, ab ijſdem capta, expoſita erant.

Portam ingreſſumque ipſum, arcus, tapetibus & pictura ornatus, complectebatur, inq; ſummo arcu effigies STEPHANI regis poſita, qui quaſi ſucceſſori de regno cederet, hæc epigrammata ſubſcripta habebat:

Proximus en regni Stephanus poſſeſſor, & idem
Affinis, forti dat tibi ſceptra manu.
Sit virtute parens, qui non eſt ſanguine. ſic te
Victorem penna perpete fama feret. Aliud
Affine in Stephano, cui nunc ſuccedis, adempto,
Virtutes varias, quas imiteris, habes.

Non illo pietate prior, non pace, nec armis,
Non alijs maior dotibus alter erat.
Dedecus is noſtra à patria deforme remouit,
Illi reſtituit dum Polocenſe ſolum.
Inſuper adiecit multas huic ſtrenuus arces,
Moſchorum domito per fera bella duce.
Quod ſi vera licet tanto de rege fateri,
Non habuit toto, viuus in orbe parem.

Per Clepardiam rectà inde ipſam vrbem inuectus fuit; per quam ingredientem, ordine aliquot arcus ornatiſſimè inſtructi, Iagelloniorumque, vt maiorum ipſius, imagines præferentes, eum exceperunt. Effigies enim eorum, cùm pleriſque ferè vetuſtate ignotæ eſſent, Ioannes Zamoſcius Cancellarius, exercituumque regni præfectus, ex antiquiſſimis quibuſque monumentis, eruerat. proximè ante arcus eos, hoc epigramma conſtitutum fuit; quo quaſi de ſequentibus maiorum ſuorum imaginibus Rex admoneretur.

Quos deinceps cernes poſitos ex ordine Reges,
Clara Iagellonicæ ſceptra tulere domus.
Omnes hi ſero gratantur regna Nepoti,
Exemploque volunt te erudijſſe ſui.
I felix: imitare tuos. imitando tuorum,
Cunctorum vinces inclyta facta tuis.

Effigies ipſæ, ſeu arcus, in quibus expoſitę

positæ cæ erant, hoc ordine collocati erant, vt à Sigismundo Augusto initio facto, nouissimos quosque reges priores ostenderent: in Iagiellone, qui arcus iam ad ipsum arcis introitum pertinebat, desinerent. Sunt autem dignissima memoriâ Epigrammata erudita, singulis Regum imaginibus adscripta. quæ seorsim edita, hoc loco qui volent inserant. Receptum in arce Sigismundum tormentorum tonitrua exceperunt. ac eodem tempore, Balthasar Bathorius, Andreę, regis Stephani fratris filius, cum Bornemissa, & bis mille Vngaris, aduenerunt.

Primi post ingressum dies, consultationibus de Republica, consumpti sunt. inprimis verò, de Pace religionis, cui prorsus episcopi repugnabant, adeò vt coronationis ritus adhibere recusarent: nisi vnam solam Catholicam Romanam religionem in regno se defensurum rex iuraret. Sed cæterorum procerum, libertatem religionis vrgentium intercessione episcopi coacti, de sua sententia cesserunt.

Die 8. Decembris denuò, de Esthonia, regno Poloniæ, à Sueco cedenda, vt à legatis Suecis VVarsauiæ promissum & iuratum esset, actionem cum Sigismundo grauissimam Senatores regni cœperunt, quæ pridie

coronationis demùm finita est. Cùm enim Sigismundus, non peti à se, quæ in sua potestate non essent, nec præstari bona conscientia à se possent, qui ordinibus regni Sueciæ, nullo modo se Esthoniam à regno alienaturum esse solenni diplomate addixisset, seriò flagitaret: magnum ergò, inquit Marschalcus regni, impedimentum coronationi Mtis Vestræ obijci video. Quid enim toti Nobilitati respondendum mihi est, cùm ab ijs quæsiero, Velint ne ac iubeant Maiestatem V. coronari? ipsique vicissim interrogarint: An M. V. omnibus conditionibus & pactis conuentis satisfecerit? Responsum nomine Sueci est: nullam de non seruatis pactis conuentis iustam querendi causam ordines habere, cùm à Legatis suis non simpliciter promissa sit Esthoniæ cessio, sed annexa conditione, si Esthonia non impetraretur, vt regina, vadimonij & pignoris loco, omnia bona sua regno inscriberet. Eam obligationem confirmare Sigismundum (saluis tamen Serenis. pr. Annæ, sororis suæ iuribus) semper paratum fuisse. Postridie Cancellarius nomine procerum regni perorans, multò durius & asperius causam egit, affirmans, non esse ex regis dignitate, neq; ex sinceri-

tate

tate nationis Sueticæ, pacta conuenta non seruari, quæ tanta essent solennitate, diuini Numinis auxilio implorato, à legatis iurata, cuius vindicta meritò Regi esset pertimescenda. vt iam omitteret, qui sermones hominum, maximeque inimicorum ipsius Maiestatis futuri sint, si in principio regni Regem pactis conuentis non stetisse intelligerent, præsertim in articulo Liuoniæ, in quam prouinciam nullum ius Suecis, sed tantùm Polonis competeret. Fuisse quidem ethnicos Romanos ea astutia, vt si quam gentem fallere vellent, eam per legatos primùm deciperent, quos postea aduersarijs de periurio conquerentibus, vt specietenus ijs satisfieret, dedebant. id tamen Christianum non esse. neque se existimare R. Maiestatem velle legatos suos vinctos potestati Polonorum relinqui. Itaque æquum esse, vt rex illi conditioni satisfaciat, Esthoniamque regno Poloniæ cedat. Huic acerbiori orationi, responsum est Sigismundi nomine, nihil eum insincerè, nihil fucatè, sed candidè & sincerè omnia, pro vt decet, egisse. Itaq; & Calmarniæ, antequam è regno paterno egrederetur: deinde in portu Gedanensi, postea in Oliuensi monasterio, antequam iuramentum præstaret, demum

mum etiam Gedani, ante publicam renunciationem, R. M. apertè & disertè declarasse animum suum, se videlicet, quod in potestate sua non esset, quodque ne faceret iuramento subditis dato antea cautum esset, præstare non posse. Idem responsum denuò aliquoties, non solùm verbis reiteratum Cracouiæ esse, sed etiam scripto comprehensum eidem, qui iam adesset episcopo Camenecensi, reliquisque cum ipso delegatis ttaditum esse. Ideoque in hac causa se diuini numinis vindictam non metuere, in qua sibi optimè conscius sit. Legatos vt vinctos dedat, nullam causam esse, cùm illi Esthoniam non simpliciter, sed annexa conditione Polonis promisissent: quæ si non adimpleretur, teneri se ad confirmandum vadimonium, quod illi conditioni esset annexum. Quod si promissio illa simplex & certa, vt cæteri articuli, fuisset, vadimonium illi solummodo annectere nihil opus erat. De iure Liuoniæ disputatum se non venisse. Sed tamen scire, Quidquid iuris Poloni in eam prouinciam sibi arrogarent, id ex sola cessione Magistri ordinis emanasse. Quam nullo pacto, nulloque iure, inuito Feudi Domino, Imperio Romano, fieri potuisse. à quo, consensus testimonium ne

literam

literam quidem proferre Poloni possint. Suecos verò, Caroli V. Ferdinandi & Maximiliani II. Impp. literis, ad Gostauum, Ericum & Iohannem reges, diuersis temporibus scriptis, tutelam eius prouinciæ ab Imperio ipsis commendatam, demonstraturos esse.

Cùm autem in consessu senatus regni, aliquoties diuersis diebus, de vadimonio conditioni de Liuonia annexo, an distinctiuum vel copulatiuum esset, & dedendis legatis, Orationes vltrò citroque commutassent; tandem Cancellarius, Quandoquidem viderent ordines, Maiestatem R. pactis conuentis stare nolle, non debere, ait, ipsius Maiestatem in malam partem interpretari, si ordines obedientiam ipsius Maiestati renuncient, & ad aliam electionem transeant. Responsum est statim: Quandoquidem videret Rex ordines regni Poloniæ ab iniqua postulatione non velle desistere, neque confirmatione vadimonij contentos esse, Regem hæc omnia Deo & tempori committere, & quod antea se facturum scripto etiam ipsis exhibito testatus sit, id se his denuò repetere: Paratum se scilicet esse regnum hoc potius relinquere, quàm vt quidquam contra conscientiam propriam,

& iuramentum subditis datum, faceret. Cùm autem nihilominus instarent Poloni, vt denuò diligentius re cogitata, mitius responsum ordinibus daret: marscalco regni ad se vocato Sigismundus dixit, non esse aliud responsum à se expectandum. & è concilio statim discessit.

Postridie, 12. Decemb. summo mane, regni Marscalcus & Castellanus Podlassię, qui ex Suecia eum deduxerat, denuò persuadere Sigismundo, Esthoniæ à regno Sueciæ alienationem, frustra conantur. Cumque tandem marscalcus ignominiosum apud exteras gentes futurum diceret, si rebus infectis in patriam rediret: Imò, inquit Sigismundus, summa cum mea gloria coniunctum erit, vbi innotescet mundo, pluris me fecisse conscientiam propriam, quàm regnum quantumuis opulentum.

Tandem Poloni, Sigismundum à sententia deduci non posse cernentes: alia Media rei componendæ proponunt. de quibus cum aliquot dies disceptatum fuisset: conuenit ad extremum, vt literis confirmationis pactorum hæc verba insereret Sigismundus: Quod attinet ad conditionem de ea parte Liuoniæ, quam sereniſſimus Sueciæ Rex, parens noster cariſſimus, nunc

posſi-

posſidet, ita inter nos & ordines regni conuentum eſt, vt hoc negocium integrum differatur ad id tempus, cùm regnum noſtrum Sueciæ ſucceſsione ad nos deuoluetur. Hęc die 16. Decembris demum tranſacta ſunt.

Poſtridie, congregatis epiſcopis, & Palatinis, alijſque proceribus regni, & delectis ex Nobilitate, SIGISMVNDVS Sueciæ princeps, 17. noſtri Decembris, ſeu Dominica 3. Aduentus: quæ ipſis dies Iohannis Euangeliſtæ in ferijs natalitijs fuit: ſolenni more ac modo, CORONA REGNI POLONIÆ, ab Archiepiſcopo Gneſnenſe, Stanislao Carnicouio, inſignitus eſt. eique poſtridie Senatus & ciues Cracouienſes, fidelitatis iuramentum dederunt.

Deus qui transfert & ſtabilit regna, & dat ſalutem Regibus, quos elegit, inclytum Poloniæ regnum & Regem regat & ſeruet, & nos ſingulos doceat & gubernet.

De forma REGNI & REGIbus Poloniæ.

POLONIÆ regnum, ducenta milliaria Germ. hoc tempore, à Viadro, ad Boryſthenem, & à Tyra ac montibus Sarmaticis, ad Parnauiam Liuoniæ, patens; in Poloniam

loniam maiorem & minorem; Ruſsiam & Pruſsiam: Lithuaniam & Liuoniam: & hæ prouinciæ rurſus pleræque, in Palatinatus, & Caſtellanias, ſeu territoria certa diſtinctæ ſunt.

PALAtini ſeu VVeiwodæ, duces copiatum ſuæ quiſque ſatrapiæ in expeditionibus bellicis: & in pace, conuentuum & iudiciorum Nobilitatis præſides: & Iudæorum patroni ac iudices: Quindecim antiquitus in Polonia, & adiuncta illi Ruſsia, fuerunt: Cracouienſis, Poſnanienſis, Sendomiriæ, Caliſsię, Siradię, Lencicię, Breſtę, VVladislauiæ, Leopolienſis ſiue Ruſsiæ, Podoliæ, Lublinenſis, Belſenſis, Plocenſis, Maſouiæ & Rauenſis. & in Pruſsia, Culmenſis, Mariæburgenſis & Pomeraniæ. In Lithuania alij decē.

CAStellani, quaſi legati ſunt Palatinorum, ductoresq; ac præſides Nobilitatis, ſub ſuo quiſque territorio, vbi nullam alioquin iuriſdictionem, dominium, aut curationem, præter hanc bellicam legationem, habent. Suntque Caſtellani in Polonia, ſexaginta quinq;, quos recenſere non arbitror eſſe operæ precium.

CAPitanei verò, præfecti ſunt arcium, oppidorum, ac reditnum Regiorum, & cuſtodes pacis & tranquillitatis publicæ in

ſua

sua quisque præfectura: latrociniorum, furtorum, aliorumque scelerum vindices, & rerum iudicatarum executores. Ideoque iurisdictionem & coërcitionem amplissimam habent. Horum vices gerunt Vicecapitanei, Burggrauij vulgò dicti: & iudices Castrenses, qui sexta quaque septimana, de certis causis criminalibus & ciuilibus, etiam aduersus nobiles, qui prædia nulla habent, ius dicunt. Sunt autem præfecturæ, seu Capitaneatus, in vtraque Polonia, circiter Quinquaginta: in Prussia regali octodecim.

SENatus regni, ex episcopis nouem, Palatinis, quindecim, Castellanis 65. & officialibus regni, Marscalcis, Cancellarijs, & Thesaurario antiquitus constat. sed noua constitutione Lublinensi, à Sigismundo Augusto edita (1569.) quæ tamen nondum planè maturuit, intermixtis Lithuanis, & Prussiæ episcopis, Palatinis, Castellanis, & magni ducatus officialibus, ad 140. personas numerus Senatorum ascendit. Sed Poloniæ episcopi sunt, Gnesnensis & Posnanensis in maiore Polonia: Cracouiensis in minore: Vladislauiensis in Cuiauia, & Pomerania: Ploensis, in Masouia: Leopolensis, Præmyslensis & Chelmensis in Russia: Camenieensis in Podolia.

Consi-

Consiliarij maiores vocantur, episcopi, Palatini, & sex Castellani, Cracouiensis, Posnaniæ, Sendomiriæ, Calisiæ, Voinicienſis, Siradiæ. Reliqua turba Castellanorum minores habentur.

COMitia rex celebrare volens, cum maioribus consiliarijs primùm de tempore, loco, & negocijs proponendis per literas communicat. Deinde Nobilitatis conuentus particulares, in singulis satrapijs indicit; & negotia deliberanda proponit, vt Legatos certos seu nuncios Terrarum ad comitia deligat. Nec sine his nuncijs legittima comitia habentur. Considentibus autem in corona, Rege & consiliarijs, Secretarij & nuncij Nobilitatis, & vnius ciuitatis Cracouiensis, ponè astant. De negotijs verò à Cancellario propositis, soli consiliarij ordine sententias dicunt. Quibus auditis, nuncij secedentes, ijsdem de rebus, & alijs, inter se consultant. Reuersi eâdem siue alia die, non modò de capitibus à rege propositis, sed alijs etiam quibuscunque, ad libertatem, & prærogatiuas Nobilitatis, & leges publicas, pertinentibus, quod iudicant Reipublicæ vtile, postulant, vel admonent. De ijs denuo in Senatu consultatur, nec rata habentur de talibus negotijs decreta, nisi terrarum

nuncij

nuncij assentiantur. In iudicijs verò, de capite & fama Nobilium, & cæteris omnibus causis, per appellationem eò delatis, Rex cum Senatu solo decernit.

REGEM in comitijs, senatores regni, & reliqua Nobilitas eligunt. Fuit autem Regis potestas initiò multò liberior. Sed à Ludoico Vngaro primùm; deinde à Iagellonibus, jurium regalium nerui & artus, nimiam ferè libertatem Nobilitati indulgendo, admodum inciſi sunt. Nam & episcopi, eorumque subditi, à iurisdictione regis ferè immunes ac exempti sunt: & de viri nobilis capite & fama, exemptis paucis casibus, Rex non nisi in comitijs regni cum Senatu iudicare potest. nec sine Senatus consensu bellum suscipere vllum, nec fœdus facere, nec tributa aut vectigalia instituere, nec de bonis regni quidquam alienare, nec successorem sibi eligere, nec vllam rem grauiorem, ad Rempub. pertinentem, statuere aut facere ipsi licet. Tributa etiam regia, de singulis agrorum iugeris, quæ olim 12. grossi erant, ad duos Ludoicus redegit, & quartam reliquiarum de cæteris reditibus regijs, Sigismundus Augustus in ærarium regni Rauense, ad sumptus bellicos deponendam accîdit.

Rexo-

Rexerunt autem Poloniam, circa vtramq; Viſtulæ & VVartæ ripam, cùm nondum Ruſsicas & Lithuaniæ prouincias ampliſsimas haberet coniunctas; ſui generis & ſanguinis Polonici principes. ac vnica PIASTI, quem ciuis Cruſuicenſis in diœceſi Gneſnenſi filium, extincto Popielo, propter eximiæ virtutis & prudentiæ opinionem, proceres principem elegerunt, famimilia, ad longam poſteritatem, annis circiter quingentis, Gubernatores ac reges Poloniæ dedit. Abnepos enim Piaſti fuit Miecislaus, qui Chriſti religionem primus in Polonia propagare cæpit 965. pater Boleslai acris, primi POLONIÆ REGIS, ab Ottone III. Imp. creati 1001. à quo continua ſeries eſt regum ac principum, vſque ad Caſimirum magnum, qui Ruſsiæ prouincias aliquot, regno Poloniæ primus vniuit 1370. & cùm liberis ex ſe natis moriens careret, ſororis filium LVDOicum Vngariæ regem, præteritis agnatis Maſouiæ & Sileſiæ ducibus, ſucceſſorem ſibi, de conſenſu Senatus deſignauit. Cui defuncto, (1383.) poſt diuturnam procerum regni deliberationem, magnus Lithuaniæ dux IAGello, Olgerdi filius, Gedimini nepos; huc vſque idolatra ethnicus, ducta in matrimonium

nium filia Ludoici Hedwige, & sacro fonte ablutus, in regno Poloniæ successit, & amplissimas Lithuaniæ ac Russiæ illi coniunctæ prouincias, cum Polonia primus copulauit 1386. Huic seni, ex quarta coniuge, Sophia, Kyouiensium ducis filia, Vladislaus & Casimirus nati sunt. ex quibus, ille, Poloniæ & Vngariæ rex, ad Varnam cæsus est 1444. CASIMIRVS III. frater, BORussiam & Pomeraniæ partem, se dedentem, regno Poloniæ adiecit 1454. ac numerosam sobolem, sex filias, & totidem filios, & in his quatuor reges, reliquit. Sed integram REGVM POLOniæ, ex LITHVANIÆ magnorum ducum stirpe ortorum, seriem adscribo.

Vitenes cœpit 1280.

Quo interfecto

GEDIMINVS, circa A. C. 1300.
Volhiniam & Kyouiam occupauit.
VILNAM condidit 1305. et alias res maximas gessit.

OLGERdus duodecim filios habuit. vxor Maria, Twerensium Du ♂	*Kystus & alij quinque.*	*Anna, vxor Casimiri magni, regis Poloniæ* 1355
	VITOldus, ter ad Crucigeros ♀	*Sigismundus dux Lithuaniæ* 1434. ☉ 144.

♂	☿
cis filia, ⊙ 1381.	Borussiam profugit, & tantisper Lithuaniam adflixit, donec magnum eius Ducatum, à Iagellone patruele consequeretur A. C. 1392. Orsam, Vitebsiam & Smolensiam Russis adempsit. Tattaris victis in Lithuania sedes dedit. ⊙ 1430.

IAGELLO VLADISLAVS Rex Poloniæ factus, 1386. ⊙ 1434.	Scergelo.	Suidrigal ad Crucigeros confugit. receptus, Podoliæ præfuit.

Vladislaus, Rex Vngariæ & Poloniæ, ad Varnam cæsus 1444	CASIMIRVS, post Sigismundum patruelem anno 1440 interfectum, Dux Lithuaniæ. postea Rex POLONIÆ, 1446. ⊙ 1492.

Vladislaus Rex Vngariæ et Boëmiæ, ⊙ 1516.	Io. Albertus rex Poloniæ, ⊙ 1501.	Alexander rex Poloniæ ⊙ 1506.	SIGISMundus I. Rex Poloniæ, ⊙ 1548. vxor BONA, Io. Galeazij Mediol. & Isabellæ Neapolitanæ filia.	Hedwigis, Georgij ducis Bauariæ vxor.	SOPHIA coniunx Friderici march. Brandeb. mater Alberti ducis Pruss.	ANNA Bogislai X. Pomerani vxor. præsentium Pomeraniæ ducum fratrum prouia.	Barbara Georgij ducis Saxoniæ	Elisabeth Ligniæ.

Sigismundus Augustus. ⊖ 1572.

ANNA, nupta STEPHANO BATHORI regi Poloniæ 1576. qui ⊖ 1586.

CATHARINA, Ioañis regis vxor, 1562. ⊖ 1583.

Isabella Sophia Ioannis Henri. Brunſ. Vnga nupta, riæ vxor 1556. 1538. ⊖. 1560.

SIGISMVNDVS III. REX POLOniæ, Deſignatus SVECIÆ. natus 1566. die 20. Iunij. coronatus Rex Poloniæ 1587. die 17. Decembris.

Ioannes II. Rex Vngar. natus 1540. ⊖ 1570.

In SAXonia, multæ hoc anno equitum turmæ, auſpicijs Henrici Nauarræ regis, quem ob reformatæ religionis ſtudium, & ius ſucceſſionis ad Coronam Gallicam proximæ; ab Henrico Guiſio & reliquis ſacri fœderis principibus, cui etiam Henricus III. Galliæ rex ſe tandem aliqua ex parte adiunxerat, grauiſsimo bello petitum, ſupra diximus; conductæ ſunt. quæ in Alſatiam menſe Iulio ad luſtrationem profectæ, cum reliquo exercitu peditum Heluetiorum ac equitum ſe coniunxerunt, & quinque totas hebdomadas deſidentes, rapinis, direptionibus ac incendijs, ſæpè nullo amico-

rum aut inimicorum discrimine seruato, passim in pagis & oppidis minoribus, non secus ac hostes grassati sunt, nisi quod à cædibus abstinuerunt. Summum Imperium exercitus Nauarreni titulotenus penes Robertum Guielmum Ducem Bullioneum fuit. Germanorum verò equitum circiter quinque millium, & vicies mille peditum, Palatini Casimiri Tribunus, Fabianus à Dona imperator fuit. cui, cùm per edictum Imperator Rodolphus mandaret, vt copias aduersus regnum Galliæ, non petita Imperatoris venia, nec patentibus Imp. literis, magistratibus locorum exhibitis, collectas, & totam expeditionem in Galliam omitteret, & domum singuli redirent: suo & cæterorum militiæ ducum nomine, edito scripto respondit: Se non contra imperium, aut ordinem Imperij vllum, ac ne quidem contra Galliæ regnum, sed pro regno militare, quod extranei quidam, nullis legibus ad successionem coronæ pertinentes, per vim inuadant, & Nauarræ regem, proximum regni hæredem, & cæteros regij sanguinis Principes, prætextu religionis, excludere, depellere, & omnibus fortunis ac vita ipsa priuare, moliantur. Accessisse Romani Pontificis, veteri arrogantia potesta-

tem

tem pro libitu dandi & adimendi imperia & regna, sibi impiè sumentis, Excommunicationem, inanem quidem illam, sed valdè procul spectantem, quam paulo post, etiam in Germaniæ principes simili de causa exercere, & pacem religionis ac reipublicæ, grauissimo consilio sancitam, conuellere & abolere decreuerit. quod certissimam non Galliæ modò, verum etiam Germaniæ communi patriæ ruinam & perniciem olim allaturum sit. Misisse igitur præcipuos Germaniæ principes, electores & status, superiore anno, ad Galliæ regem legatos, qui pacem religioni à rege datam & iuratam, seruari peterent. Quorum preces ac intercessiones cùm spretæ ac irritæ fuerint: susci pi à se hanc expeditionem, vt à Germania communi patria, quæ ex PP. & ligæ illius sacræ minis, plurima impendere videantur mala, auertant; & pacem religionis in Gallia suis etiam periculis & laboribus aliqua ex parte confectam & sancitam: nunc verò certorum hominum, prætextu religionis successionem in regno, exclusis & deletis legittimis hæredibus, ad se transferre molientium violatam; restituant ac defendant, & iniusta aliorum tyrannide oppressos pios ac innocentes subleuent & tueantur.

De patentibus literis consensus ab Imp. petendis, propositum quidem aliquando in comitijs, sed nihil vnquam decretum aut Recessibus insertum esse, quod Germanorum libertati ex diametro repugnet, quam nulli præcedentes Imperatores Germanis ademerint. Magnam quoque inæqualitatem esse, quod Hispanis & alijs peregrinis militibus, metropolim Imperij Aquisgranum, VVestaliam inferiorem, prouinciam Marcam, Iuliacensem, Bergensem, Monasterienſem, comitatum Bentheimensem, & alias intra Imperij viscera prouincias, impunè ac fœdè adfligere sine vlla auocatione licuerit. Se verò auocari, qui nullum Imperij ordinem lædere, ac extra fines imperij in Galliam proficisci decreuerint: hac etiam de causa, vt stipendia sibi adhuc à Galliæ rege debita, quæ nullis hactenus, ac ne ipsius quidem Imp. intercessionibus impetrare potuerint, coram exigant. De hac inæqualitate non immeritò se conqueri, ac præsentem expeditionem grauissimis de causis susceptam nihilominus vrgere ostendebant. Nec quidquam speciosius & fortius in tota expeditione hiduces gesserunt.

Tandem verò pridie Idus Augusti, iter ingressi, per Lotharingiam, cuius Princeps sacri

sacri fœderis socius erat, direptionibus ac incendijs grassati, vi perruperunt. Quibus ad Mosellam obuius Guisij exercitus, quem Romanus Pontifex, Hispaniæ rex, & alij sacræ ligæ confœderati, auxilijs amplissimis auxerant & firmarant, impedita pabulatione, ac interceptis commeatibus, & nocturnis in eorum castra impressionibus aliquot factis, carpere eos paulatim, ac, ne cum Nauarreo rege coniungerentur, obstare conabatur. Interea rex Nauarræ cum Condeis, Tremolia, & suis Gallorum copijs, solus, aliquot victorias de aduersarijs, ac inprimis de Duce Ioieuse, qui reginæ Gallicæ sororem Vadimontiam in matrimonio habebat, adeptus est, Germanorum copijs nondum illi consociatis. quæ victus intemperie, commeatuum inopia, dysenteria & alijs morbis quotidiè imminuebantur. & nocte diem Galli secuta, aliquot turmæ Germanorum equitum, in pagis vicinis castra habentes, oppressæ ac deletæ, plurimique nobiles trucidati aut capti sunt.

Die Martini illucescente, summus Germanici exercitus dux Fabianus à Dona, aliquot equitum turmas & 500. pedites secum habens, in oppido Aneau, ex improuiso, per Guisianos, cùm vigiliæ negligentius excu-

barent, introgressis per arcem Gallis & transcensis muris obrutus, ægré euasit. Equites ipsius ac pedites cæsi aut capti: præda ampla equorum circiter 1500. à Guisio parta, & octo vexilla, ac in his Fabiani à Dona, summi ducis, quod symbolum, COnstanter & SIncerè inscriptum habuit, ad GVIsium vt ipse ad comitem Salmensem scribit, allata sunt. Helueti) sollicitati à regijs ad regem Gallię transierunt. Reliqui igitur equites, curribus ac impedimentis aliquot crematis, equos peditibus reliquis, attribuerunt, & in Germaniam redire satagentes, cum duce Espernonio, nomine regis, de saluo passu in Germaniam transegerunt. Cuius actionis indignitate & turpitudine motus Dominus à Castillion, cum mille Gallis trans Ligerim, per media hostium agmina ad Nauarrenum penetrauit. Hunc sequi equites Germani, vel metu nonnulli amittendæ prędę; vel ob stipendia non prius numerata, vel alijs de causis, recusarunt. Sed conuersa retrorsum profectione, in Germaniam magnis & continuatis itineribus properarunt. Cumq; pontem Araris, Matiscone transijssent: non per Burgundiam & agrum Mompelgardensem, quò Guisium, vestigijs eorum à tergo insistentem, properare didicerant

rant: sed per Sabaudiam, Geneuam versus iter direxerunt. quò pauci, inermes, ęgri, nudi & pedites plerique, ac ex viginti vno præfectis turmarum equestrium quinque tantùm in Germaniam redijsse scribuntur. Ita rebus fædissimè gestis, non exigua, antiquæ virtutis & fidei Germanicę laudi labes aspersa est. nec bono terminari exitu hæc expeditio, tali principio, tanta cùm petulantia & iniurijs tàm atrocibus, in Alsatos amicos & socios, inchoata poterat. Guisiani, Montispelicardi oppido & ditione tota grauiter adflicta, & direptionibus ac incendijs vastata, vsque ad vrbis Argentinæ conspectum grassati sunt.

Superiori mense Aprili, Franciscus Dracus, Anglus, classe 24. nauium armata, Hispaniam præterlegens, in duas Middelburgenses Selandicas naues, ex portu oppidi Cales in freto Gaditano venientes incidit, quibus de magna copia nauium Hispanicarum, quæ in portu illo machinis bellicis, & omnis generis commeatu, Lysibonam transuehendo, oneraretur; nec dum ad nauigandum parata sit, edocetur. Quare cursu ad Gades directo, Hispanicam classem, ante portum oppidi Cales, in freto Herculeo, ex improuiso adortus, circiter 36. naues, commeatu,

machinis bellicis & alijs mercibus euectas, vt Lysibonæ cum cæteris se coniungerent, partim incendit, partim diripuit, multas secum abduxit, ac victoria & præda insigni, præter omnem expectationem, potitus est 19. Aprilis. Cumque classis Hispana, quæ Lysibonę ingens apparabatur, Angliam certò oppugnatura existimaretur: tuta tamen hoc anno ab Hispanorum impressione Anglia fuit.

In HOLlandia verò, lentè ac segniter omnia, ad defensionem reliquiarum Belgicæ adhuc fœderatarum aduersus Hispanos, Leycestrius comparabat. & quamquam bis mille equites, quos superiori anno, à comite Morsiano collectos & ad VVildeshusiam dissipatos dixi; huius anni æstate recolligebantur: ideoque Taxius, Hispani præfectus militaris, in comitatus Tecleburgensis pago Lengerke, diu desidens expectabat, vt eorum iter impediret, ne cum Anglis coniungerentur. ordinum verò milites, duce Adolpho Morsiano (Meppam occupauerant, vnde die Martini primùm acceptis à diœcesi ad 30000. Ioachimicorum discesserunt) tamen ortis inter Lycestrium & ordines Hollandię feralibus dissidijs, omnes illi de apparatibus Anglicis rumores, in fumum abierunt. Lycestrius a mense

mense Octobri, Gallica & Belgica lingua, Apologiam seu potius inuectiuam in Hollandię ordines acerbam, alienissimi planè animi indicem edidit in qua, non præstitisse ordines pollicita, & se non vnis ordinum literis, velut proditorem, apud Reginam Angliæ accusatum. cui bellum gerere cum Hispano, Hollandorum causa, neutiquam decretum, nisi sumptus belli vniuersos, vrbes fœderatæ ex pacto suppeditent. Si non sufficiant, suâ eos culpa perire, qui tanto regi temerè resistere conati sint. nam quod Hollandiæ & Zelandiæ partes, se solas, cæteris prouincijs pro derelicto habitis, belli molem sustinere posse existiment, insaniam esse. Iunctim se inijsse cum omnibus fœdus seruaturum id cum omnibus vel nullis. Hac mordaci & hostili apologia edita, in Angliam redijt. BONNAM archiep. Colon. oppidum, Martinus Schenk, Idibus Decembris nostri, per insidias occupauit.

Aliquot etiam doctrina & virtute præstantes viros, & de Republica & ecclesia benè meritos, hic annus Saxoniæ abstulit: inter quos, MATThæus VVesenbeccius, Antuerpiensis, Iureconsultus, eminuit. qui Paratitlis in 50. Pandectarum libros suis, totum ius ciuile, artificiosa & el-

clariſſima methodo, in eruditiſſimam Artis formam redegit, & multis præclaris lucubrationibus alijs, illuſtrauit. Ienæ etiam ac VVittebergæ, ius, ſumma cum laude ac ſedulitate interpretatus eſt, & de iure ſciſcitantibus, reſpondit.

Leonardus BADehornus, cùm annos amplius 40. in gubernatione & iudicijs, Lipſiæ, ſub Mauricio, Auguſto & Chriſtiano, electoribus Saxoniæ, vtiliter Reipublicæ ſeruijſſet, calendis Iulij, anno ætatis 77. deceſſit. cùm eodem tempore, Paſchaſius Brieſmannus, iuuenis, elegantiſſimo ingenio, & humanioribus literis Græcis & latinis legum doctrinam ornans, Muſarum & Charitum delitium: Brunſuigæ Syndicus ex his terris euocatus eſſet.

Ex Theologis celebrioribus, IOannes VVIGANdus, Pomeſanenſis in Boruſſia epiſcopus, pietate & doctrina & varijs ſcriptis in publicum editis clarus, die 20. Octobris: & TIMotheus Kirchnerus, qui Helmſtadienſis Academiæ fundamenta prima docendo iecit: Vinariæ tandem in cœleſtem eccleſiam, die 17. Septembris translatus eſt. Qua ipſa die, SIDonia Maria, VVenceslai ducis Teſchinenſis filia, Franciſci ducis Saxoniæ neptis, Friderici ducis Lignicenſis vxor primi

primi partus difficillimi laboribus superata decessit. IACobus Schekius, Philosophus ac medicus excellens, quem φυσικῆς ἀκροάσεως Aristotelis libros & alia interpretantem, Tubingæ olim adolescens audiui, die 9. Maij, anno ætatis 76. in cælestem Academiam euocatus est.

FRAnciscus à Billerbeg, Pomeranus, genere ac ingenio nobilis, qui Thracia, Ægypto & Asia perlustratis, multa mecum, de orientis rebus, Turcicis, Persicis, Ægyptijs & alijs, huic chronico inserta, communicauit: cùm in Vngariam reuersus, magno & Heroico animo, aduersus Turcas fœdissimos, pro patria, aliquot annos militasset: & tandem ex Cepusio in patriam, & aulam Danicam vocatus, profectionem instituisset: Viennę, ardenti febre confectus, in cælestem militiam euocatus est. 12. Febr.

In Italia, VVilelmus Mantuæ dux, die 4. Augusti; & FRANciscus magnus Hetruriæ Dux, die 9. Octobris, & quinque post eum horis, Blanca Veneta, ipsius coniunx; in viuis esse desierunt. Francisco Florentiæ duci, frater Ferdinandus, ecclesiæ Romanæ Cardinalis successit.

Hyems initio anni aspera & diuturna, Æstas tametsi humida & magna ex parte

parte pluuia, tamen mediocrem frugum vbertatem præbuit. Vuæ matureſcere non potuerunt. Gelu rigidum in Nouembri paucos dies durauit. Quo ſubitò remittente totus December tepidus, nec glaciem, nec pluuias, ac ne niuem quidem, in his locis vidit.

ANNO M. D. LXXXVIII. Sigiſmundus III. Poloniæ rex, paucis poſt coronationem diebus, Rodolpho Cæſari, de corona & inſignibus regni à ſe acceptis, per literas ſignificat: & Maximilianum fratrem, ab eo, quamprimùm ex Polonia reuocari, nec conſilio auxilioque ſuo & ſuorum deinceps iuuari, & de damnis contra communia fœdera datis ſatisfieri petit. Teſtatur ſe diutius, tot ſuis regnique ſui incommodis deeſſe non poſſe. iamque ex hoc tempore, nullo etiam expectato reſponſo, id ſuſcepturum, quod & dignitas ſua, & commiſſorum ſibi populorum iniuriæ à ſe requirant.

Hac belli denunciatione præmiſſa, Iohannes de Zamoiſcia, Dux exercituum regni, cum Polonis, Germanis & Vngaris recens à Baldaſaro Bathoreo & Borne miſſa adductis, Cracouiâ mouens, ad Maximilianum, qui Vielunj, maioris Poloniæ oppido, non

non procul à finibus Silesiæ sito, tum desidebat; & paulò ante capitaneum Snatinensem maiores copias adducturũ & Iohannem Sborouium, à se dimiserat, rectà contendit. cumque Maximilianus non expectandum sibi eo in loco ratus, in vicinæ Silesiæ oppidum Bitsin, ducibus Brigensibus subiectum, extra regni Poloniæ fines, cum copijs profectus esset: statim eum Zamoiscius, noctu etiam continuato itinere, Idibus Ianuarij consequitur. Ad Maximilianum ea die Præposwarus Vugarus cum recentibus copijs accesserat, quibus confirmati, qui cum Maximiliano erant Poloni, ac inprimis Stanislaus Stadnicius, qui Ioannis Sborouij loco, supremus exercituum Maximiliani præfectus erat, & antea semper Cancellarij copias contempierat, prælio hostem aggrediendum & profligandum esse suadebat. Erat non procul Bitsino, inter palustria & vliginosa loca, longus & angustus agger, per quem vix bini equites, aut terni pedites simul ingredi commodè poterant. Has angustias præsidio aliquot equitum & paucis tormentis muniri, & transitum hostis impediri, MELchior Redegus, baro Silesius, literis & armis clarus, qui Stephano regi ad Plescouiam voluntariè ma-

gna

gna cum laude militauerat, & recens nomine Maximiliani, legationes ad Boruſſos & alios Poloniæ ordines obierat: prudenter & fideliſſimè conſulebat. Sed Stadnicius & cæteri Poloni, fortè quod ab ipſis non profectum eſſet conſilium, obtemperare recuſabant. Poſtea etiam, cùm pars copiarum Cancellarij aggerem tranſijſſet, adoriendos & delendos eos, qui tranſgreſſi eſſent, denuò Rederus baro ſuadebat. Sed fatali ducum Polon. pertinacia, & hoſtium contemptu Thraſonico, libera & tuta tranſeundi, & exercitum inſtruendi facultas Cancellario data eſt. qui in prima acie Vngaros & Coſaccos collocauit, quos à Polonis & Germanis præcipuè Maximiliani equitibus, malè acceptos & repulſos eſſe, ſcribunt. In ſequente autem & inſtante cum vniuerſis copijs Duce ipſo, Poloni, etſi aliquandiu fortiter impreſſionem hoſtilem ſuſtinentes conſtiterant: tamen in fugam tandem verſi, & profligati ſunt. Maximilianus ipſe, cum præcipuis ducibus, in oppidum Bitſinam proximum ſeceſſit. Quod cùm ſtatim Zamoiſcius milite cinxiſſet, & igne ac tormentis admotis exitium omnibus præſens intentaret: Maximilianus archidux, & proceres illius partium Poloni, Stanislaus comes

mes à Gorca; palatinus Posnanienſis: Iacobus VVroniecius epiſcopus Kyouienſis: Andreas Sborouius, marſcalcus curiæ; Alexander dux Prunſcenſis & alij complures, ſe captiuos Zamoiſcio dederunt. qui moderatè & clementer, ſine vlla inſultatione, aut verborum aſperitate deditos accepit. ac rex Sigiſmundus ipſe, accepto de Max. captiuitate & poſtulatis nuncio, eundem quem antea vultum grauem & tranquillum nulla lætitiæ geſtientis ſignificatione edita, retinens, reuerenter & honorificè haberi: nec Cracouiæ, tot populorum & gentium hominibus captum, velut in theatro oſtentari, ſed rectà in Ruſſiæ arcem Craſniſtauam non procul à Lublino, extrema maioris Poloniæ vrbe, cùm præſidio ablegari mandat. Quem Dux victor Zamoiſciam vſque comitatus eſt. Calendis Ianuarij, ROBErtus VVilelmus Dux Bullionis, ex nobiliſſima comitum de Marca & ducum Cliuenſium ſtirpe ortus: Roberti Marcani, Eſdanæ domini, qui cum Carolo V. bellum geſſit, pronepos: cùm ex infelici aduerſus Guiſianos Gallos expeditione, pro rege Nauarræ ſuſcepta, Genetam redijſſet, morbo & mœrore confectus, iuuenis extinctus eſt; relicta ſorore vnica, Eſdainæ & Iameſij ac

reliqui ducatus hærede. quam Carolus Lotharingiæ dux postea, prætextu damnorum, quæ ditioni suæ in superioris anni expeditione Robertus dedisset, diu obsesso Iamesio, sed viriliter ab amicis pupillæ defenso, oppugnauit. nec ante obsidionem soluit, quam de Henrici Guisiæ ducis cæde in Gallia, exeunte demum anno, allatum est.

FRIDericus II. Daniæ rex, Heroica magnitudine animi, virtute, felicitate & autoritate excellens: ecclesiarum ac studiorum doctrinæ Nutritius munificus; anno regni 30. ineunte, ætatis 54. Anderfoæ in Selandia, ex hoc terreno & inquieto, in beatum & cœleste regnum emigrauit (4. Aprilis.) relictis ex Sophia, Vlrici Ducis Megapolitani filia, septem liberis: Christiano, Vlrico, Ioanne, Elisabetha, Anna, Augusta, Hedwige. ex quibus, CHRISTIANVS IIII. puer vndecennis (natus 1577. 12. April.) patri in regno successit, adiunctis illi ex senatu regni quatuor consiliariis præcipuis, penes quos, summa consiliorum gubernationis, donec Rex adolescat, autoritas esset: NICOLAO KAAS Cancellario; Petro Munck, Amyralio; Christophoro VValkendorff, Thesaurario, & Georgio Rosenkrantz regni consiliario. quorum sapientiæ,

pientiæ, fidei ac industrię, regni totius administratio præcipuè commendata est. Funus regis Rotschildiam deductum, & in sacello, ad latus Christiani III. patris, & Christiani I. abaui, die 5. Iunij conditum est. cùm antè paucos dies primùm in Polonia, prudentissimi & fortissimi regis STEphani, ante sesquiannum Grodnæ in Lithuania defuncti, corporis exuuiæ, Cracouiam deuectæ, in templo arcis, solenni pompa humatæ essent 14. Maij.

In Hollandia, cùm præter arces & oppida, pignoris loco in prima receptione Anglis tradita, plures vrbes munire præsidijs Angli niterentur; Amsterodamum, Leida, Delphi, & aliæ ciuitates, metuentes ne idem quod Franciscus Andegauensis Antuerpiæ & alibi tentasset, Angli etiam apud se molirentur: admittere ea recusarunt. ac propter id studium partium Anglicarum, Hugo Donellus Iurisc. Leida dimissus, Altorfium venit. Serauia Theologus cum Adolpho Meckirchio aufugit.

Angliæ Regina, vt se omni suspicione liberaret, & nil nisi Hollandiæ salutem & libertatem defensam spectare ostenderet: reuocato in Angliam Lycestrio & cæteris

magistratibus Anglicis: & restituta Mauricio, principis Vranij filio, & statibus Hollandiæ, gubernatione integra, nihilominus patrocinium & defensionem, in fœdere primùm inito, aduersus Hispanos communes hostes promissam, contenta arcibus primùm ipsi pignoris loco traditis, clementer præstat.

In Colonienſi diæceſi, BONNA ad Rhenum, per Martinum Schenk, nomine archiep. Truxesij, anno superiore exeunte, occupata; totam æstatem acriter ab Hispanis, Parmensi militantibus, obsessa & oppugnata, verùm à Schenkiano præsidio fortissimè & diutius multorum expectatione defensa est. Initio obsessionis, Ioannes Baptista Taxius, inter celeberrimos Ducis Parmensis tribunos clarus, ab erumpente præsidio trucidatus periit. Inde Virdugus præcipuam inter Hispanos virtutis bellicæ opinionem; summum verò Imperium, Carolus Dux Simæus, Philippi Arescotani filius, habuit. cui tandem, sexto obsidionis mense 19. Septembris vrbs dedita, & duces qui vrbem fortissimè defenderant, Otto, baro à Podlitz, Christophorus VVolff, equitum præfectus, & milites omnes, complicatis vexillis, cum armis & bonis, quę gestare possent,

possent, incolumes dimissi, & Berxam vsq; deducti sunt.

In Flandria, primis anni mensibus, simulata de pace tractatio, inter Hispanum & Anglam, vsque ad Iunium ferè continuata est. Reginæ nomine Legati, Offendæ diuertentes, indutias belli, libertatem conscientiæ, inquisitionis abolitionem, dimissionem externorum militum, Gubernatores indigenas pro Belgis, quorum patrocinium susceperat, & renouationem veterum fœderum inter Hispaniæ & Angliæ regna, & refusionem sumptuum bellicorum, inter cætera petebant, & restitutionem locorum, quæ in Hollandia & Selandia Angli tenerent, & auxilia aduersus rebelles Regi offerebant. Sed induciæ, nisi de controuersijs omnibus ante conuenisset, negatæ sunt. De cæteris verò capitibus, post multorum mensium actiones, responsum, vt Regina, de religione, sibi in Anglia, nihil ab Hispanis, ita vicissim Regem, nihil in Belgico sibi ab Anglis præscribi velle. Inquisitionem verò nunquam Regem in Belgicum inducere voluisse aut velle. Externos milites, cùm omnes vicini in armis sint, exautorari non posse. nec Gubernatores, quo minus suo consilio & arbitrio Belgis

præficiat, se prohiberi. Fœdera regnorum vetera libenter Hispanus confirmabit, sed belli non suo rogatu suscepti impensas sustinere recusat. Loca verò iniustè hactenus ab Anglis detenta, restitui æquissimum iudicat. De auxilijs, quæ offeruntur, liquidiorem declarationem expectat.

Dum hæc tractatio ad finem decurrit:

Classis Hispaniæ Regis, totum ferè triennium apparata, Nauium militarium grandium 125. militibus veteranis ex Hispania Italia & aliundè collectis vicies mille; nautis decies M. tormentis 2000. pyrio puluere, globis, & annona ad sex menses instructissima, ex Tagi ostio, exeunte Maio soluit, & ad littus Hispaniæ occiduum lentè procedens, in Coronin portum Hispaniæ versus boream extremum, in finibus Gallicię & Asturiæ, quem Artabrorum portum Ptolemæus appellat, die 20. Iunij peruenit. Classis Imperator summus, Aloysius Peresius Medinę Sidoniæ dux: præfectus autem maris & nauarchus seu Amyralis, Ioannes Martinus Recaldeus Cantaber fuit.

Cùm autem vix è conspectu Hispanæ telluris in altum vela dediſſent: exorta tempestate adflicti & disipati, & ventis aduersis in eundem & vicinos Asturiæ & Biscaiæ portus

portus reiecti sunt. Rex cùm sine magna clade Coronin rursum conueniſſe classem intellexiſſet: è vestigio eam in Angliam tendere, & coniunctam Belgicę Parmensis classi, milite in continentem expoſito, vniuersum Angliæ regnũ occupare iubet. Itaq; cùm 28. dies in portu Coroneo hæsiſſent, versus Cassiteridas, è diametro Artabris ad boream oppoſitas (Silly hodie Angli, ſtanni metallis feraces, appellant) cursum Hiſpani dirigunt. Iamq; Gesſoriacum Galliæ, & Iccium portum præterlegebant, vt cum Belgica Parmensis classe, plus quàm 300. nauigiorum, inter quæ plurima erant latiora, quibus in terram miles educeretur, ad Dunkirchiam collecta coniungerentur. cùm Anglicæ classis præfectus inferior, Franciſcus Dracus (ſuperior enim Admiralius, Carolus Howardus baro, ex ſtirpe ducum Norfolciæ natus erat) à tergo illos eſt inſecutus. ac primùm ex prętorijs vnam, quę agmen Nauium claudebat, tardius inſequentem, & in ea Petrum Valdeſium cepit. Cumque ſecundis ventis, & nauigijs agilioribus, quàm erant Hiſpanicæ naues grandes & immanes, vteretur: toto triduo cum eis eminus velitatus, malos præcipuè & Gubernacula, tormentorum globis decutere, & catenis per tormen-

ta emissis, rudentes, & quæ eminebant reliqua regendę nauis instrumenta conscindere studujt. Parmense verò cum suis nauibus, quòd partim aduersis ventis, partim Selandica classe ad ostium portus Duncherkani excubante, impediretur, frustra ab Hispanis expectato: Sidoniæ Dux, propè Caletum ancoras iecit. Dracus sequenti nocte, octo veteres suas naues, pice, sulfure, aliaque ignis materia repletas, vento vehementi à tergo aspirante in classem Hispanorum immisit. Qui metuentes, ne suæ etiam naues accenderentur, ancoris subleuatis vel resciss is discedunt. Quas hoc stratagemate, turbatis ordinibus in fugam actas Dracus insequitur, à tergo, cùm dabatur, globis impetens, qui, in illa Hisp. nauium altitudine, rarò aberrabant. Anglicæ verò humiliores, non semel ictus eludebant. & si quando illæ in arenosa vada inciderent reddebantur immobiles. Duæ ex his Flissingam ductæ, ictibus planè conquassatæ, in portu perierunt. Alia Brielam vi tempestatis appulsa, aliæ alibi captæ sunt. Reliqua Hispanorum classis, Africo vehementiore aliquot dies continuos spirante, ad extremæ Daniæ seu Iutiæ & Norwegiæ fines propulsa, inter Hetlandiam & Orcades

des, circumnauigata eminus Britannia vniuersa, & multis denuò ad Hyberniæ littora nauibus amissis, in Hisp. redijt. Sic terribilis illa Hisp. classis, toto ferè triennio apparata, & omni munitione bellica & milite veterano instructissima, quæ totam Angliam occupare, & multò longius progredi iussa erat; vix à longinquo foris conspecta & circumnauigata eminus Anglia, diuinitus, à Serenissima Regina & regno Angliæ, vt Sennaheribi exercitus à mænibus Hierosolymę olim depulsa, rebus infectis omnibus aufugit. Parmensis dux, classem Belgicam dissoluit, nautas exautorauit. Militem partim Bergam ad Somum obsidendum misit.

In Gallia, Henricus Guisiæ dux, paucis nobilibus comitatus, initio Maij, Lutetiam venit, vbi Rex cum Regina matre commorabatur. Cùm autem Rex insidias metuens, præsidia Heluetiorum & Gallorum, in opportunis vrbis locis disponeret: ciues Guisianæ factionis, milites regios, quibusdam trucidatis, depellunt, & ad arcem excubias collocant. Rex consternatus ex vrbe in oppidum Chartres discedit, & de ijs quæ in vrbe accidissent, ad præfectos Prouinciarum & ciuitatum literas mittit, vt fidem Regi debitam seruent. Postea legati

ad regem, à Cardinali Burbonio & cæteris principibus ac ciuitatibus, quę ad delendos ac extirpandos ex regno Hæreticos se sacro fœdere colligauerant, fidem & obseruantiam Regi suam declarant, & pro ciuitate Parisiensi intercedunt, omnia ibi nuperrimè acta obliuione sempiterna obrui petunt. deinde Espernonium ducem, præcipuum omnis dissidij & diffidentiæ inter Regem & Guisianos autorem & palàm cum Nauarræo & Hæreticis colludentem, ex aula, & à gubernatione exercituum & negociorum publicorum, vna cum fratre Valletta, prorsus remoueri, & Normandiæ præfecturam sacro fœdere coniunctis tradi: fratrem Ducis Guisij, magnum aulæ magistrum: Cardinalem Burbonium, ciuitatis Parisiensis & totius Insulæ Francicę Gubernatorem constitui, & Generalem ordinum Regni conuentum, instituì flagitant, cuius conuentus decreta Rex se executioni daturum iurejurando confirmet. Duos exercitus ad delendos Hugenottos, alterum in Pictones, cui Rex ipse vel Guisius, alterum in Delphinatum, cui dux Maynius præsit, expediat. Ciuitates iam occupatas fœderatis relinquat. Metensem Campaniæ gubernationi adiungat. Denique vt Hæreses omnes

extirpet

extirpet & concilium Tridentinum vbique in Gallia seruari curet. De his articulis plerisque Regi cum Guisio & sacri fœderis socijs statim conuenit, vt priores inimiciciæ omnes simulatæ viderentur. Rex edictum denuò promulgauit, quo omnes alterius quàm Catholicæ Romanæ religionis homines, subditos suos, Gallia omni proscribit, bonisq; priuat. Catholicos omnes sibi contra Nauarræos adiungi, ferrumque stringere præcipit. ac duos exercitus, vnum in Delphinatum duce Maynio, alterum in Pictones, se Imperatore, vel Guisio ipsius vicario, se conscripturum ostendit.

Comitia etiam Blesis, mense Septembri, ad deliberationes, de Pace & salute totius regni, intestinis dissidijs ac rebellionibus adflicti, restituenda, & de Pontificis Excommunicatione, aduersus Henricum Nauarræ Regem, inhabilem successioni Coronæ Franciæ à PP. declaratum exequenda, indicit. Vbi, ex omnibus regni prouincijs, legati, Guisianis partibus & Ligæ sacræ addicti, conuenientes, Articulos grauissimos de tota forma gubernationis Regni deinceps instituenda, Regi proposuerunt. Quibus receptis, planè in ordinem Rex redactus, nihil præter nomen Regium retinere videba-

videbatur. Itaque sumpto cogitandi spacio longiore, ducem Maynium, qui absente Henrico Guisio consilia ordinum regni, Guisio addictorum, præcipuè regebat, amandare in Delphinatum ad bellum Sabaudo inferendum conabatur. Sed detrectante militiam Maynio, nisi antea articulos propositos rex comprobasset: cùm de omni regia autoritate amittenda se periclitari rex videret; & Guisium, regni Gubernationem ipso in ordinem redacto, affectare, non solùm ex proximè præcedentium annorum molitionibus, & vtbe Parisiorum nuper occupata, verùm etiam ex literis ipsius manu ad Hispanum, interceptis, intelligeret: tollere illum è medio decreuit. Quare vt in suam potestatem eum absentem pelliceret; summam erga eum beneuolentiam in comitijs simulauit: ac initio Decembris, in consessu ordinum, fingens se pertæsum turbarum & bellorum, quæ à Nauarreo & Hugenottis quotidiè maiora & atrociora motum iri videantur, quietem & otium expetere ait. Ideoq; negociorum Regni administrationem, ab ordinibus idoneo alicui Gubernatori seu vice Regi commendari petit, qui oppresso Nauarreno, Pacem Regno restituat, & mortuo ipsi in regno succedat.

Cùm autem ordines, à Rege ipso idoneum vica-

vicarium & Gubernatorem eligi orarent: rex aliquot principibus nominatis, concluſit, ſe omnibus Guiſium ducem anteferre. Quæ cùm ad Guiſium per amicos & ordines relata eſſent, ipſe Bleſas 12. Decembris, ſpe ampla lætus, acceſſit. ac poſtridie ad Regem tanquam de maximis rebus cum eo communicaturum, vocatus, in cubiculo & conſpectu regis trucidatur, cùm prius epiſtolam ad Hiſpanũ, de Rege in monaſterium intrudendo vel planè tollendo, ſua manu exaratam, pro ſua agnouiſſet. Ita enim multorum literis relatum eſt. Cadauer in plateam abiectum, combuſtum & cineres in Ligerim ſparſi ſunt. Cardinalis, Guiſij frater ſtrangulatus: dux Ienuille filius, dux Nemurius, & epiſcopi aliquot, in cuſtodiam dati ſunt.

Regina mater, Catharina, quæ hactenus conſilijs ſuis regnum rexerat, & Guiſianas partes fouerat & confirmarat; duodecima poſt Guiſium die, Natali noſtro, Gregoriani verò Calendarij quinto Ianuarij, morte ſublata eſt. cuius epitaphium circumfertur:

Tres Erebi furias ne poſthac dicite vates,
Addita nam priſcis eſt Catharina tribus.
Quod ſi tres illas à ſe dimitteret Orcus,
Hæc illi fuerit pro tribus vna ſatis.

In Oriente, Mahometis Codabendi Persarum regis filius, bellum cum Turcis à patre relictum continuans, insigni victoria hoc anno potitus esse scribitur, capto Bassa Imperatore exercitus, cum præcipuis militiæ Turcicæ ducibus. qui lytron, de quo cum Persis transegerant, se frustra à Turco petere, atque insuper omnia bona sua in fiscum redacta esse intelligentes, militiæ Persicæ se addixisse feruntur.

ANNO M. D. LXXXIX. ineunte: Cùm Galliæ Rex adeò seuerè, præter omnium expectationem, in Guisium & complices animaduertisset: varij animorum motus ac indignationes, in totius regni proceribus & populis, excitati sunt. Parisienses Pontificij, summa animi pertinacia, Guisijs addicti, Ducem Aumalium, Guisij patruum, Gubernatorem Lutetiæ & insulæ Franciæ designant. Omnia edicta, sententias iudiciorum, Parlamenti nomine Regis abrogato publicant. Monetam cudunt, cuius epigraphe est, vno in latere: CHRisto regnante, altero, Vindicta sanguinis innocentis. Regis thesauris & scrinijs, quę Guisius mense Maio vrbe occupata obsi-

obsignauerat, Item armamentarijs & arce Bastille vt suis vtuntur. Quotquot aduersæ factionis regi addictos opinio est, in vincula conijciunt.

Collegium Sorbonę Theologorum circiter 70. consultum à præfecto vrbis, consulibus & ciuibus Parisiensibus, An bona conscientia se armare, vnire & contribuere contra Regem queant, cui adhuc iuramento ipsi præstito obligati sint; concordibus sententijs pronunciauit, Populum regni Galliæ, à Iuramento fidelitatis & obedientiæ, quod Henrico Valoisio iam hosti ecclesiæ Apostolicæ Romanæ præstiterint, solutos & liberatos esse, & licitè ac bona conscientia armari, vnire, & pecunias colligere ac tribuere ad defensionem religionis Catholicæ Apostolicæ Romanæ, aduersus nefaria consilia & conatus prædicti regis & quorumlibet illi adhærentium. quia hdem publicam, in præiudicium religionis catholicæ, & sanctæ vnionis, & libertatis trium ordinum, in comitijs regni, violarit.

Dux Mainius, Guisij frater, vir acer & strenuus, coniunctis cum Aumalio consilijs, & ingentibus collectis copijs, necem fratris indignam vindicare, & religionem Romanam defendere se velle profitetur, eoq;

coq; prætextu, multas vrbes, Lugdunum Rhotomagnum, Aureliam, Ambianum & alias, à rege deficientes, sibi adiungit. Rex vicissim se ad defensionem comparans, vniuersam regni nobilitatem, iure clientelari sibi deuinctam, Toronum euocat, & singulos, numerum equitum, quo sibi ex legibus feudi seruire tenentur, adducere iubet. Obedientibus, omnium præteritorum ἀμνηστίαν promittit. Emanentes verò, omnibus suis prædijs & bonis priuatum iri comminatur. Ducem Mainium & Aumalium, conspirationis Guisianæ capita, publicis literis, rebelles, perfidos, periuros, & læsæ Maiestatis reos declarat, & proscribit. In Heluetia etiam per legatos triginta vexilla peditum & in Germania equites per Theodoricum à Schonberg conducit. Confœderatos sacræ Ligæ principes singulos domi suæ distinet. Lotharingum per Sedanenses copias & Tintauillam in Campania. Sabaudum per Valettam, in Delphinatu. Lugdunenses, per Aricurtum & Nauarreni aliquot præfectos. Duci Mainio, robur exercitus, quem penes se habet, opponere, & destitutum præsidijs confœderatorum, reprimere instituit. Exitum ἡμέραι αἱ πλοῖπαί ostendent.

In Poloniæ & Silesiæ finibus, ad Beutenam

nam, legati Imp. Rodolphi ac reliquæ domus Austriacæ, cum Polonis, de Maximiliano archiduce Austriæ, ex custodia liberando, mense Ianuario tractare cœperunt. & quanquam immensæ petitiones vtrinque initio proponebantur; tamen æquissimis conditionibus, & vtriq́ue parti tolerabilibus, tandem transactum esse scribitur, vt præteritarum offensionũ ἀμνηστία, pax & Amicicia sit: Maximilianus absque λύτρῳ liber ex Polonia mense Iulio discedat: Titulo regis Poloniæ & omni iure deinceps abstineat: Libloam Cepusij arcem, cum omni apparatu bellico vti intercepta est, cum oppidis & pagis adhærentibus restituat, 12. Iulij: Pacta & fœdera antiqua, inter Poloniæ, Vngariæ & Boiemiæ regna totamque Domum Austriacam, missis vltro citroque legationibus, mense Aprili, Maio & Iunio vtrinque renouata instaurentur. Maximilianus liber cùm attigerit ditiones Cæsareas, 28. Iulij transactionem pacis iuramento & literis firmet. nec auxilia Moschis contra Polonos Austriaci ferant. Damna & iniuriæ vtrinq; acceptæ mutuò compensentur. Hæ conditiones, à legatis initæ, ad Regem ac Senatum regni Poloniæ, in comitijs VVarsauiensibus, pro-

bandæ & confirmandæ, menſe Martio relatæ ſunt.

Propoſita verò in comitijs Polonicis ad deliberandum præcipua capita fuerunt; de modo legittimæ & liberæ electionis Regũ, ne inteſtinis bellis Regnum deinceps, diſcordiâ ſuffragantium implicetur: de Liuonia inter Polonos & Lithuanos diuidenda, quam prouinciam vtrique hactenus integram ſibi vendicarant: de Rebellione Rigenſi compeſcenda: de Moſcho: de Concordia inter ordines eccleſiaſticum & politicum reſtituenda: de Statutis regni corrigendis, & Iure Polonico in certum corpus redigendo: etc. de quibus decreta paulò poſt cognoſcemus. In Saxonia, IVLius, Dux Brunſuicenſis, cùm ditionem Brunſuicenſem, quæ patris ætate, perpetuis ferè bellis agitata, Martis potius quàm Muſarum ſtudia coluerat: Domicilium veræ eccleſiæ DEI & Doctrinarum omnium, Academia illuſtri Helmſtadij condita, & Iuſticiæ ac Pacis ſedem redditam; viginti vnum annos feliciter rexiſſet: VI. Nonas Maij ex hac vita diſceſſit. cuius regionum ampliſſimarum Gubernationem, filius primogenitus, HENricus Iulius, paternæ virtutis & ditionis hæres ſuſcepit.

INDEX.

ADam à Potlitz 121.
Adolphus Dux Holsatiæ ⊖ 274.
Adolphus comes à Morse 117. 227. 275. 342.
Æmylia Iuliacensis 256.
Agnes Mansfeld. vxor arch. Col. 108.
Albertus comes Hoien. 53
Albertus Baranouscy 307. 311.
Albanus dux in Belgico ⊖ 91.
Alexander Farnesius Antuerp. obsid. 228 vsq; 241
Allera fl. 171.
Aloſtum 62.
Andreas Austr. Card. 111.
Andreas Sborouius 193.
Andreas Opalinisky 303. 318.
Anglorum monopolia Hamburgi & Elbingæ 206.
ANGLICA, 207. 242. 243. 265. 267. 351. 353. vsq; ad 357.
ANna Egmondana 60.
Anna Mauricij ducis Sax. filia ⊖ 60.
Anna Megapolitana, ducis Curlandiæ vxor 248.
Anna Tecleburgensis, 62.
Anna Frisiaca & Suecica, el. pal. nupta 122. deinceps Badensi 220.
Anna Danica, Augusti Saxonis vxor 244.
Anna Saxonica Henrici Leonis Megap. vxor 258.
Anna Saxonica, Ioannis Casimiri vxor 56.
Anna Palatina, Badensis vxor ⊖ 257.
ANTVERpia 38. 165. obsessa & dedita 228. 229. vsq; ad 241.
Antonius episc. Mindens. 246.
ANtonius Pseudorex Portugalliæ 39. 91.

ARGentinensium canonicorum Tragædia 172. 173. vsq; ad 178.
Artabri 354. 355.
Atrebatensis Cardin. 39.
Augustus elector Saxoniæ 244. ⊙ 256.
AVGustana comitia 64.
Tragædia ex Calendario orta 166 168. 278.
Aslan Tattarus 200.
Audenardum 62.
Aumalius dux 362. 363. 364.
AVraniæ princeps vide Vuilelmus
Aurei velleris ordo 90.
Azores insulæ 39. 91. 125.

B.

BAldasar Villafanus 142.
Barda opp. Pom. 258.
Bartolomæus Rotert ⊙ 218.
Beatrix Marchica, vxor Henrici Meg. 258.
Beglerbegi 205.
BELgica 15. 16. 17. 18. vsq; ad 40. 260.
BENthem comites 63. 64.
Berga ad Zomum 260.
Bernardus comes à Vualdeck ep. Osnab. 222.
Bernardus comes Lippiensis natus 244.
Boleslaus Rex Poloniæ 333.
Bonna 102. 110. 114. 137. 343. 352.
Bornemissa Vngarus 322.
Borussorum Grauamina 49. 50. 298.
Botnueliæ comes Scotus 292.
Brabantia 54.
Breda Brab. 40.
Bremensis archiep. 221.
Bruga 144. 150. 155. 160
Burggrafius Nigenjs 95
Buscum ducis 227.

Calenda-

C.

Calendarium Gregorianum 64.65. vsq; ad 76.165.207.208.
Cameræ iudicij visitatio. 120. 121.
Cameracum 37. 38.
Capha 196. 199.
Carolus V. 20. 21.
Carolus arch. Austriæ 40.77.
Carolus Palatinus 259.
Carolus Burbonius 61.
Carolus Truxesius 107. 109 137. 263.
Carolus Arenbergius 110.
Carolus Chimaius 150. 352.
Carolus princeps Sueciæ 122. 123.
Carolus Howardus 355.
Carola Mompenseria, pr. Auraniæ vxor 60.61.
Cassiterides insulæ 355.
Castellani Poloniæ 329.
Castilioneus Dux 340.
Catharina Regina Galliæ ϴ 361.
Catharina regina Sueciæ 48.125.
Christianus IIII. Rex Daniæ 350.
Christina Danica, ducissa Mediol. & Lothar. 169.
Christophorus dux Megapol. 10.123.
Christophorus Sboronius 193.212.213 214.304.
Colo 297.
Colonienſe bellum 105. 110. vsq; ad 118. 137.
Colonienſis diœcesis oppida Vuestphalica 139.
Comitia Augustana 64.
Conradus comes Teclenburg. 67.
Conradus à Botmer 274
Constantinopolitana 205 206.
Coronis portus 354.
Coporia fol. 7.
Crimæi Tattari 197.
Curonienſis in Liuonia diœcesis 217.

D.

DAniel Rogersius 268. 290.
Dauentria 289.
Deipholdi comites extincti 224.
Demetrius Solicouius 5.
Derbatum Liuoniæ 93.
Dixmuda 124.
Diuena 259.
Dorothea Saxonica Henrici Iulij Brunſ. vxor 244. ⊙ 293.
Dorothea Sax. VVolfgangi Brunſ. vxor 12.
Dorothea Lotharingica, ducissa Brunſ. 169.
Dorothea Vrſula, vXor Ludoici Vuirteb. ⊙ 126.
Dorothea Luneb. nupta Carolo Palat. 259.
Druſoburgum 243.
Dunkirch. 124.
Duſter mons 171.

E.

EBerhardus epiſc. Lubecenſis ⊙ 273. 274.
Eberwinus comes à Bentheim 63. 64.
Eitel Henrich 138.
ELISABetha Angliæ Regina 207. Belgas in tutelam recipit 241. 242. 265.
Eliſabetha Sueciæ Regis filia, Chriſtophoro Megapol. nubit. 10.
Eliſabetha Danica, Vlrici Megapolitani vxor ⊙ 275. Marchica nupta Henneb. 126. Vuirtebergica, nupta Henneb. 126. Luneburg. 259. ſchaunburgica nubit Simoni Lippienſi 244. Brunſuicenſis, nupta Ioanni duci Holſatiæ 257.
Epiſcopi in Belgico 20. 21. 22.
ERICVS dux Brunſuic. ⊙. 169. 170.
Ericus comes Hoienſis 52. 53.

Ericus

ERicus Sparre 302. 313.
Erneſtus Fridericus Badenſis 220.
Erneſtus Bauarus archie. Colonienſis 114. 137. 138. Monaſt. 227.
Erneſtus Mansfeldius 172.
Eſthonia Liuoniæ 312. 323. 340.

F.

FAbianus à Dona 336. 339. 340.
Ferdinandus Albæ dux 62. ⊖ 91.
Ferdinandus Truxeſius 109. 228.
Fordigham 266.
FRAnciſcus dux Saxoniæ 92. 11. 12.
Franciſcus comes à Vualdec 223. 224.
Franciſcus dux Andegauenſis 13. Belgici gubernator electus 34. 37. Antuerpiæ exceptus 54. 55. 56. proditorie vrbem occupare nititur 97. 98. 10. vſq; ad 104. ⊖ 140.
Franciſcus à Billerbeg 345.
Franciſcus dux Florentiæ ⊖ 345.
Franciſcus DRACVS 242. 263. 264. 341. 355. 356.
Fridericus II. Daniæ Rex 129. 179. 181. 271. 273. ⊖ 350. 351.
Frideri. Vilelmus dux Sax. Vin. 126. 293.
Fridericus dux Holſatiæ. 294.
Fridericus dux Saxon. Lach. 12. 107. 172. ⊖ 280.
Fridericus comes Hoen. 259.
Fridericus dux Curlandiæ 294.
Fridericus Rantzouius 273. 276.

G.

GAllicum bellum aduersus regem Nauarræ 246. 247. 250.
GANdauensia 145. vsq; ad 165.
GEbhardus Truxes. arch. Col. 105. 106. 109. 110 vsq; ad 122. 137.
GARterius ordo Anglicus 83. 84. vsq; 90.
Gella 259.
Georgius Ernestus Henneb. ⊖ 126.
Georgius Fridericus Borussiæ dux 49. 50. 217.
Georgius dux Lign. & Brig. ⊖ 288.
Georgius Farensbecus 179. 180.
Georgius Radeuilus Gubernator Rigæ 45.
Georgius Truxesius 109
Georgius Neunerus 43.
Goslicius epis. Cam. 318.
Göttingen 171.
GOTHardus Dux Curlandiæ 282. 294.
Gothardus VVelling, I. V. D. Syndicus Rigensis 42. 280. 281.
Grauia Geldriæ 267.
Gregorius XIII. P P. ⊖ 220.
Guisij dux 246. 335. 339. 340. 341.
Gunilla Regina Sueciæ 219.

H.

Habsal Liuoniæ 7.
Hanseatarum ciuitatũ conuentus 12. 13. 14.
HEnnebergensium Principum familia 127. 128.
HENricus III. Galliæ Rex 246. 248. 249. 272. Lutetia fugatus 357.
HEnricus Nauarræ rex 118. 249. 335. 336. 359. vide Nauarræus.
Henricus dux Saxon. archiep. Bremensis 11. 12. ⊖ 220.

Henri-

Henricus Leo D. Megap. 257. coniuges 258.
Henricus Dux Guisiæ 246. 340. 357. 360. 361.
Henricus Stuardus Rex Scotiæ 292.
Henricus Iulius dux Brunſ. 244.
Henricus Rantzouius 276.
Hieronymus Philippouius 197.
Hiſpanæ claſsis in Angliam expeditio infelix 354. 357. 358.
HOlenſium comitum familia & arces præcipuæ 50. 51. 52.
Hugo Donellus 351.
Hugueria 149.
Hypera 124. 144.

I.

IAcoba, Philiberti Badenſis filia 227.
Iacobus IIII. V. VI. Scotiæ reges, 292.
Iacobus, Philippi Regis Hiſpan. filius ☉ 51.
Iacobus Segurius 275.
Iacobus Taiardus, Syndicus Gandauenſis 159. 160. 162.
IAGello Lithuanus, Rex Poloniæ 333. 335.
Iameſium à Lotharing. obſeſſum 350.
IAPania inſula 250.
Ieſuitæ Rigam introducti 41. 42. 93. 94. 95.
Imbyſa Conſul Gandauenſis 145. 146. 147. 148. 149. captus 152.
Ioachimus comes ab Ortenburg 121.
Ioannes Palatinus 106. 107.
Ioannes Archiepiſcopus Bremæ 221. 274.
Ioannes Auſtriacus 30. 31.

Ioannes Casimirus dux Sax. 216.
Ioannes Casim. Pal. 111. 114. 115. 123. 146.
Ioannes comes Hoien. 52.
Ioannes Moschus Russorum Imperator ⊖ 193. 194.
Ioannes III. Sueciæ rex 45 46. 48. 312. 317. nuptiæ secundæ 218 219.
Ioannes Frider. dux Sax. captiuus 220.
Ioannes VVilelmus dux Iuliacensis 227.
Ioannes Tastius 5. 280.
Ioannes comes Hoiensis 5'.
Islan Tattarus 200.
Iulius dux Brunsuicensis 170.
Iulius episc. Vuurtzburgensis 279.

K.

KVnigunda Palatina ⊖ 156.

L

LAga 258.
Leala 6. 7.
Leina fl. 171.
Leonardus Badehornus 344.
Lithuani 297. 305.
LIVonica 41. 42. 93. Nobilitas 80. 81.
Loda 6.
Lubecenses 129. episcopi 274.
Lucas Lossius 92.
Ludoicus elector Pal. 110. 111. 122. ⊖. 123.
Ludoicus dux VVirteb. 126. 219.
Luneburgensis conuentus 275.
Lyra 62.

M.

MAGdeburgensis ciuitatis cum archiep. Transactio 225 226.
Magnus Holsatiæ dux ⊖ 97.

Magnus

Magnus Dux Saxoniæ 11.
Mahomet Codabendi rex Persarum 251. ⊖ 288.
Margarita Austriaca ⊖ 256.
Maria Maximiliani Imp. vidua 40. 41.
Maria Pomeraniæ duciſſa ⊖ 125.
Maria Guiſia 291.
MARIA Scotiæ regina 265. 266. ⊖. 290. 291. 292.
Martinus Schenk. 260. 343. 352.
Matthæus VVeſenbecius 343.
Matthias archidux Auſtriæ 299.
Mauricius dux Vraniæ 60.
Maximilianus archidux Auſtriæ 299. 305 306. 318. captus 347. 348. 349.
Maynius dux 360. 363. 364.
Melchior Rederus baro 347. 348.
Mindenſes epiſcopi 62. 245. 246.
Mieciſlaus Pol. Rex 333.
Mompenſeria familia 61.
MONASterienſis epiſc. 227.

N.

NArua Liuoniæ fol. 7.
Naumburgenſis conuentus 294.
Nauarræ rex 118. 246. 247. 278. 335. 339. excommunicatur 249. 250. 335. 336.
Neomagum 243.
Nicolaus Kaas 350.
Nicolaus Eike 208. 211
Noueſium 227. 263.

O.

OLga Pleſcouienſis 89.

Oſna-

Osnaburgensis episcop. 22. 222.
Osilia insula 178. 182.
Otto à Potlitz 352.

P.

PAdebornensis episcop. 221.
Palatini Poloniæ 329.
Panis fl. 259.
Parisienses contra regem rebelles 357. 362. 363.
Parmensis 60. 228 241. 263. 356.
Parnouia 45.
Paulus Oderbornus 258.
Persarum regis literæ ad Hispanum 251. 252.
Petrus Beuterich. 114.
Petrus Dathenius 146.
Philippus Sigismundus Dux Brunsv. 247. 274.
Philippus Sidnæus eques Anglus, 268. 270
Piastus rex Poloniæ 333. 00.
PLEscouia 8. 9. 10.
POLoniæ reges & regni forma 328. 329. vsq; ad 335. Electio Sigismundi Sueci & Maximiliani Austriaci 295. 296. vsq; ad 328.
Pontus de la Gardia Θ 218.
Poppo princeps Hennebergicus 126. 129.
Portugalliæ rex Philip. Hisp. coronatur 39.
Posonij comitia Ung. 76. 77.
Prierow 259.

R.

REcniza fl. 258.
Regiomonte in Borussia 49. 50.
Ribnicense cœnobium 257.
RIGÆ Polonis subiectæ priuilegia 2. 3. 4.

Rex Poloniæ Rigam venit 41. 47. Iesuitæ collegium Rigæ instituere moliuntur 93 94. Motus ciuium Calendarij mutati causa excitatus 207. 208. 209. Regis Stephani decretum 261. 262. 280. 282. 283. 298.
Robertus Dudlæus Hollandiæ gubernator, 260. 267. 276. 343.
Robertus Vuilelmus dux Bullion 336. ⊖ 349.
RODolphus Imp. 64. 74. 76.
Rostochiensis transactio cum ducibus Megapolitanis 130. 131. 136.
Rotenburg ad Tuberim 165. 166.

S.

SAmuel Shorouius 183. 184. vsq; ad 193.
Scotiæ Regina 290. 291 292.
SIGismundus I. II. Rex Poloniæ 337.
Sigismundus princeps Sueciæ, electus Rex Poloniæ 304. 310. Dantiscī 114. Cracouiam ingreditur 318. 320. coronatur 328.
Simon Lippiæ comes 244. 245.
Sixtus V. PP. 220. 249.
Sophia Vuirteb. Friderico duci Sax. nuptæ 126.
Sophia Holsat. vxor Ioannis Megap. 274.
Sorboniſtæ 363.
Staniſlaus Carnicouius 295. 328
Stephanus Poloniæ Rex Pleſcouiam obſidet Io. II. Rigam venit 41. à Suecis Narnam repetit 45. 46. 47. comitia VVarſuiæ 78. 212. Nobilitati Liuonicæ reſpondet 80. Rigenſes perſequitur 228.

282. 283. 284. 285. 286.
sepultus 351.
Stiriacorum procerum pietas & constantia 40.
SVEci Liuoniam borealem Russis adimunt. 6. 7. cum Moschis inducias faciunt 218. 288
Sund 258.
Sutphania 124. 267. 277

T.

TAstius Rigensis 210. 211. 5.
Tattari Præcopenses Crimæi 82. 197. 198. 199
Taurica Chersonesus 196 197. vsq; 202.
Taxius trib. 352.
TECLEburgenses comites 63.
Tercera insula 91. 125.
Tessin 258.
Theodoricus à Furstenberg episc. Padeb. 221.
Theodorus Moscouiæ dux 197. 196. 216.
Tolsburg Liuoniæ fol. 6.
Tornacum 62.
TRVXesia familia 108. 109.
TVRCICI Imperij prouinciæ 202. 204.
Turci mercatores Antuerpiæ 62.

V.

VEnlo Geldriæ 267.
Vercellensis episc. III. 112. 245.
Verdens episcop. 274.
Vilna condita 334.
VLricus dux Megapol. 129. 130.
Vrsula Saxon. Henrici Ducis Lunæburgensis vxor 12.
Vrsula Palatina, Ludoici Vuirteb. vxor 219.
Vrsula Megapolitana 257.

VV

VVAldeccensium comitum

mitum familia 223. 224.
Varsauiensia comitia anni 1582. fol 78. anni 1585. f. 212. 214. anni 1587. de noui regis electione 295. 296. vsq; ad 310.
Vasa Flandriæ 124. 147.
Venceslaus Agrippa 5.
Vendæ in Liuonia episcop. 93.
Verla 260. 261.
Vestphaliæ oppida subiecta Colonienſi 139.
Vesenberga Liuoniæ à Suecis capta 6.
Vichia Liuoniæ à Suecis recepta 6. 7.
Io. Vigandus 344.
Vilelmus archiep. Rigenſis 43.
Vilelmus Auraniæ princeps 54. lethaliter vulneratus 57. 58. coniuges Princip. Auraniæ 60. 61. 124. 142. 144.
Vilelmus Mantuæ dux 347.
Vilelmus Schenking episcop. Osnab. 221. 222
Vilelmus princeps Hennebergensis 128.
Vittenstein 7.

Z.

ZAmoiscius Cancellarius Polon. 185. 186. 191. 196. 303. 313. 315. 319. 324. 326. 346. 347.
Zedena Saxon. Vvenceslai Ducis Teschini vxor 12.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1793707960/phys_0388

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1793707960/phys_0390



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1793707960/phys_0392

Dav. Chytraei
Chronicon Saxoniae

R4
9330 1,2

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1793707960/phys_0393

G.

GALlicum bellum aduersus regem Na
rræ 246.247. 250.
uensia 145. vsq
Truxes. arch.
. 106. 109.
122. 137.
Angli-
90.
G 259.
Geo n-
ne
Georgi
rußiæ
217.
Georgius du
Brig. ⊖
Georgius Far
179. 180.
Georgius Radeu
Gubernator Rigæ 4
Georgius Truxesius 10
Georgius Neunerus 43.
Goslicius epis. Cam. 31
Göttingen 171.
GOTHardus Dux Curlandiæ 282. 294.

Gothardus VVelling, I. V. D. Syndicus Rigensis 42. 280. 281.
Grauia Geldriæ 267.
Gregorius XIII. PP. ⊖ 220.
Guisij dux 246.335. 339. 340. 341.
Gunilla Regina Sueciæ 219.

H.

Habsal Liuoniæ 7.
Hansicarum ciuitatũ conuentus 12. 13. 14.
HEnnebergensium Principum familia 127.
28.
ricus III. Galliæ
246. 248. 249.
Lutetia fuga-
7.
uarræ rex
336. 359.
eus.
Saxon.
is 11.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1793707960/phys_0394